Pietatis ergo.

DE
SERMONE THUCYDIDIS
QUATENUS CUM HERODOTO CONGRUENS DIFFERAT A SCRIPTORIBUS ATTICIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OSVALDUS DIENER
MITTELDORFIENSIS

LIPSIAE

MDCCCLXXXIX.

DE SERMONE THUCYDIDIS QUATENUS CUM HERODOTO CONGRUENS DIFFERAT A SCRIPTORIBUS ATTICIS

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

OSVALDUS DIENER
MITTELDORFIENSIS

LIPSIAE
MDCCCLXXXIX.

IUSTO HERMANNO LIPSIO

SACRUM

Duplicem ob causam operae pretium me facturum esse putavi, si quaestionem instituerem, quatenus sermo Thucydidis cum Herodoteo congruens differret a sollemni scriptorum Atticorum more dicendi. Primum enim cum Thucydides inter scriptores veteres auctoritate longe emineat, certe dignissimus est, cuius dicendi ratio qualis sit accurate exploretur; discrepantiam vero illam quam dixi si quis ostendet, non solum hoc munus pro parte sua explebit, sed etiam aliquid conferet ad cognoscendum progressum, quo ars prosa oratione scribendi tempore procedente exculta est. Deinde spes me tenuit hoc modo eorum confirmari posse sententiam qui censent Thucydidem alteram operis partem secundum pacem a Nicia factam, alteram post annum 404 a. Chr. n. conscripsisse. Etenim quidni eo magis opinemur aliquantum temporis inter eas intercedere, si sermone quoque discrepent? Sed spes me fefellit; neque enim Thucydides verba ab usu ceterorum Atticorum aliena, quibus in prioribus quattuor libris usus est, perpaucis exemplis exceptis in posterioribus admittere destitit, neque ceteroqui illic saepius quam hic ab Atticorum dicendi consuetudine recessit.

Multa quidem, cum tot viri doctissimi ingenium et doctrinam ad Herodotum et Thucydidem contulerint, proponam, quae ab aliis investigata sunt; sed non solum ea magis illustrare posse mihi videor, verum etiam nova adiciam. Alia autem, quae minus recte prolata sunt, aut corrigam aut refellam.

His praemissis ad rem ipsam accedamus [1]).

1) Herodoti exempla descripsi e Steinii editione commentario exegetico instructa, quae annis 1874—1877 foras missa est; Thucydidis e Stahlii editione anno 1877 publici iuris facta.

CAPUT I.

De verborum formis.

Initium disputandi capiamus a σσ litteris, quas Thucydides in vocabulis *ἐξαλλάσσειν πράσσειν κρείσσων* similibusque more Herodoti[1]) omninoque Ionum (et Doriensium)[2]) excepto *ἄττα* constanter usurpasse putandus est, quamquam III 45, 4 *κρείττων*, V 45, 3 *πράττειν*, V 71, 1 *ἐξαλλάττειν*, VIII 71, 1 *ταράττεσθαι* in omnibus codicibus traduntur[3]). Qui usus tantum abest ut ceteris scriptoribus Atticis praeter poetas tragicos[4]) cum eo communis sit[5]), ut iam Thucydidis aetate in vulgari Atticorum sermone ττ valuisse tituli testentur[6]). Unus ex Atticis Antipho si non in sexta oratione, quae „in universum a ceterarum vetusto colore aliquantum abhorret", at tamen in quinta et in tetralogiis σσ admisit[7]). Ceteroqui ubi *πράσσειν* aliaque id genus verba formis per ττ intermixta inveniuntur, nihil dubito quin σσ in ττ corrigendum sit.

---

1) V. Bredovium ‚De dialecto Herodotea' p. 96.

2) V. Matth. Gr. Gr. I³ § 15. 26. Kuehner. Gr. Gr. I² § 31. p. 127.

3) V. Popponem ad Thuc. IV 29, 4 (edit. min.²) et I. 1. p. 406. edit. mai. Stahlium, Quaestiones grammat. ad Thucyd. pertinent'.² p. 49.

4) V. Dindorfii praefat. ad poet. scaen. Graec. p. XI.

5) V. Blass. „Att. Beredsamkeit" I² p. 126. Schneider. ad Plat. Rpl. p. 332 E. p. 511 D. Dindorf. praef. ad Xenoph. Cyr. p. IX. (edit. Ox.).

6) V. Meisterhans. „Grammatik d. att. Inschriften"² p 77 s. Cf. Cauer. „De dialecto Attica vetustiore" in Curtii stud. grammat. vol. VIII. p. 284. Kirchhoff. in Hermae vol. XII. p. 372 s.

7) V. Blass. praef. ad Antiph. oration. p. VII s. Att. Beredsamkeit I² p. 126.

Pariter Thucydides usum et a ceteris scriptoribus Atticis[1]) et a titulis[2]) eius aetatis diversum secutus cum Herodoto et poetis tragicis consentit, cum ρσ pro ρρ in verbis qualia sunt *θαρσεῖν ἄρσην* retinuit. Perpaucis autem locis, quibus aut omnes codices (VI 11, 6) aut pars eorum[3]) ρρ exhibent, ρσ Thucydidi reddendum esse nemo non concedet.

Iam de vocabulis *σφάττειν* sive *σφάζειν*, *ἀδυναμία* s. *ἀδυνασία*, *σκεδάννυσθαι* s. *σκίδνασθαι*, *ἐξαργυρίζειν* s. *ἐξαργυροῦν* dicatur.

Thucydides VII 84, 5 ad Homeri Herodoti Hippocratis exemplum, quibuscum etiam tragici faciunt[4]), *σφάζειν* dixit pro *σφάττειν*, quam formam Attici ad unum omnes, ni fallor, receperunt[5]). Etenim quod codices Xen. Anab. IV 5, 16 *σφάζειν* exhibent, Dindorfius ad reliquos locos rectissime *σφάττειν* restituit. Eadem de causa Xen. Cyr. I 3, 17 (ubi v. Dind.) II 1, 16 VII 5, 60 VIII 4, 21; de re equ. 12, 1 *ἁρμόζειν* in *ἁρμόττειν* mutandum est. Illa autem forma *σφάζειν* Thuc. VII 84, 5 Polluci quoque digna visa est, quae notaretur, VI 192: *Θουκυδίδης δὲ καὶ ἔσφαζεν λέγει.* Apud Herodotum occurrit I 45, 19 II 39, 6 III 11, 10 (ubi v. Kruegerum) IV 62, 18 V 5, 7 VII 113, 10, apud Hippocratem de nat. hom. vol. XXI. p. 355. ex. (Kuehn.) p. 357. in., epistul. vol. XXIII. p. 811. ex.

Pro *ἀδυναμία*, quae forma apud oratores, Platonem, Xenophontem regnat, Herodotus et Thucydides *ἀδυνασίη* s. *ἀδυνασία* habent, hic VII 8, 2: *κατὰ τοῦ λέγειν ἀδυνασίαν*; VIII 8, 4: *καταφρονήσαντες τῶν Ἀθηναίων ἀδυνασίαν*, ille III 79, 3: *τοὺς τρωματίας ἑωυτῶν αὐτοῦ λείπουσι καὶ ἀδυνασίης ἕνεκεν καὶ* . . .; VII 172, 17: *οὐδαμὰ ἀδυνασίης ἀνάγκη κρέσσων ἔφυ.* Herodotus tamen sine ullo significationis discrimine etiam *ἀδυναμίη* videtur usurpasse VIII 111, 17: *οὐδέκοτε γὰρ τῆς ἑωυτῶν ἀδυναμίης τὴν Ἀθηναίων δύναμιν εἶναι κρέσσω.* Similiter aliis locis eum inter duas formas, quarum altera

1) Kuehner. Gr. Gr. I. § 29. p. 124, qui tamen erravit cum contendit Andocidem semper usurpasse ρσ. Andocidis enim verba huc pertinentia in codicibus sic traduntur: I. 117: ἀρρένων. II. 16: εὐθαρσεῖν. III. 3. 9. 15: Χερρονήσῳ. Quare nescio an II. 16: εὐθαρρεῖν reponendum sit. — Dindorf. praef. ad Xen. Cyr. p. IX. (edit. Oxon.).

2) Meisterhans[2] p. 76.

3) V. Poppo. edit. mai. I. 1. p. 209.

4) Cf. Lobeckii adnotation. ad Soph. Ai. v. 435.

5) V. Krueger. Gr. Gr. I. § 40. Veitch. „Greek verbs" p. 614. Herwerden. Mnemos. IX. (1881) p. 204.

Atticis scriptoribus usitata erat altera non item, variasse infra videbimus.

At Antiphontem quoque ἀδυνασία usum esse grammaticus quidam in Bekk. anecd. I. p. 345 tradit: ἀδυναμία ἐρεῖς ὡς Δημοσθένης, καὶ ἀδυνασία ὡς Ἀντιφῶν καὶ Θουκυδίδης, καὶ ἀδυνατία ὡς Δεινόλοχος. Sed codices, qui quidem ad nos pervenerint, uno illo loco, quo hoc verbum invenitur, V 2, praebent τοῦ λέγειν ἀδυναμία. Ceterum in Antiphonte, quae est eius sermonis antiquitas et cum Herodoti affinitas, hanc formam facile ferremus.

Thucydides praeter formam σκεδάννυσθαι [1]), quae Atticis probata est, σκίδνασθαι sibi concessit VI 98, 3 (ἀποσκίδνασθαι). Hanc imprimis apud Iones in usu fuisse testes sunt Herodotus II 25, 9: διασκιδνάντες. IV 113, 3: ἀποσκιδνάμεναι. VIII 23, 7: ἅμα ἡλίῳ σκίδναμένῳ. IX 80, 4: σκιδνάμενοι, et Hippocrates de morbo sacr. vol. XXI. p. 600. in., p. 612. med., de locis in homine vol. XXII. p. 103. ex., de morbis lib. I. vol. XXII. p. 192. med. (bis.): σκίδναται — de diebus iudicatoriis vol. XXI. p. 151. med., de intern. affectionib. vol. XXII. p. 513. med.: σκίδνανται — de nat. pueri vol. XXI. p. 411. med.: σκιδναμένου — de vict. rat. lib. I. vol. XXI. p. 652. ex., de morbis lib. I. vol. XXII. p. 206. ex.: σκίδνασθαι. — de morb. sacr. vol. XXI. p. 601. med. σκιδνασθῇ.

Praeterea eam apud poetas, maxime Homerum et Hesiodum, et scriptores recentiores legimus [2]). Rursus cum testimonio vetere, Pollucis VI. 194. dico, διασκεδάννυσθαι ἢ ὡς Ξενοφῶν διασκίδνασθαι codices, qui nobis servati sunt, discrepant. Utut est, σκίδνασθαι in Attico sermone non vigebat.

Porro ab Atticorum scriptorum, Demosthenis (V. 8.), Isaei (V. 43.), Dinarchi (I. 40.) loquendi consuetudine Thucydides VIII 81, 3 desciscit, congruit cum Herodoto (VI 86 α, 21), si Suidas, Zonaras, Etymol. M. eum ἐξαργυρῶσαι, οὐκ ἐξαργυρίσαι scripsisse vere praecipiunt [3]). Quibus fidem derogari eo magis nolim, quia B G qui sunt inter optimae notae codices eandem scripturam exhibent *).

1) Legimus enim I 54, 1 διεσκέδασεν. IV 112, 3: ἐσκεδάννυντο. I 74, 2: σκεδασθέντες. III 98, 1: διεσκεδάσθησαν. II 25, 2 IV 56, 1: ἐσκεδασμένον. IV 72, 2: ἐσκεδασμένων. VI 52, 2: ἐσκεδασμένους. [II 102, 4: σκεδάννυσθαι.]

2) V. Veitch. p. 593. Kuehner. Gr. Gr. I p. 906. Matth. Gr. Gr. I. § 250. p. 652.

3) De simili aliorum verborum inter -οῦν et -ίζειν terminationes fluctuatione Lobeckius ad Phryn. p. 361 s. exposuit.

*) Neque vero dubium est quin formam Ionicam τάμωμεν ex Thucydide I

Pergo ad *ἀνώτατα, κατώτατα, προσώτατα* similiaque adverbia. Has formas Thucydidi IV 110, 2: *τοὺς ἐπὶ τοῦ ἀνώτατα φυλακτηρίου φρουρούς* Dukero et Stahlio adversantibus et Herodoto[1]) II 125, 14: *ἐξεποιήθη δ' ὦν τὰ ἀνώτατα αὐτῆς πρῶτα.* 103, 4 *ἐς τούτους δέ μοι δοκέει καὶ προσώτατα ἀπικέσθαι ὁ Αἰγύπτιος στρατός* Cobeto (Mnemos. nov. ser. XI. [1883.] p. 140.) repugnante servari volo. Nam etsi Herodotus II 125, 16: *τὰ κατωτάτω*, IV 43, 22: *τὰ προσωτάτω*, VII 23, 8: *τοὺς ἀνωτάτω* (*ἑστεῶτας*) praebet[2]), tamen illos locos ad hos immutari licere nego, praesertim cum adverbia illa olim exstitisse ex Eurip. I. T. 712: — *ὡς προσώταθ' Ἑλλάδος ‖ ἀπήλασεν* perspicuum sit. Quo loco cum Soph. Elect. 391 librorum scriptura *ὅπως ἀφ' ὑμῶν ὡς προσώτατ' ἐκφύγω* satis defendi videatur, Dindorfii coniecturam *ὡς προσώτατω φύγω* magis speciosam quam necessariam esse cum Bergkio Hermanno aliis existimo[3]).

Nunc ad vocabulorum declinationem transeamus.

Ut Herodotus[4]) ita Thucydides tertiam personam num. plural. perf. pass. in *-αται*, plusquamperf. in *-ατο* terminavit hisce locis: III 13, 3: *ἐφθάραται, τετάχαται*, IV 31, 2: *διετετάχατο*, V 6, 5

81, 6, cum reliquis locis, ubicunque hoc tritissimum vocabulum exstat, codices formas per ε exaratas unu consensu obferant, iure exemerint Cobet., Mnemos. XI. (1862) p. 369. et Stahl. ‚Quaest. grammat.'[2] p. 66.

1) Cf. Fischer. ad Velleri grammat. vol. II. p. 114 ss. Matth. Gr. Gr. I. § 132. p. 328. Buttmann. ‚Ausführl. gr. Sprachl.' II. § 115 b. 3. 4. Kuehner. Gr. Gr. I. § 159. 3. p. 444 seq. Krueger. ad Thuc. IV 110.

2) Apud Thucydidem superlativi in -ωτάτω cadentes non obviam sunt.

3) Occasione data memoro ab Hippocrate non raro ex adverbiis in -ω exeuntibus adiectiva in -ώτερος, -ώτατος et adverbia in -ώτερον, ab Atticis aut rarissime aut omnino non formata esse; namque Xenoph. Cyr. inst. VI 1, 52: τὸ κατώτατον οἴκημα, Anab. VII 4, 11, ubi in codd. deterioribus traditur τῇ ἀνωτάτῃ κώμῃ, Plat. Defin. 411 C, ubi nonnulli codd. exhibent τοῦ ἀνωτάτου ἀέρος non sine causis a viris doctis emendata sunt.

Ex Hippocrate haec exempla praesto sunt: de ossium natura vol. XXI. p. 510. med.: ἄλλη δὲ (φλέψ) σμικρὸν κατώτερον ἀποκαμφθεῖσα, de vict. rat. lib. II. vol. XXI. p. 683. m.: σάρκες ὅσαι ἐσώταται τοῦ ζώου, de mulier. morbis vol. XXII. p. 673. ex.: γαστρὸς τὸ κατώτερον τοῦ ὀμφαλοῦ, de fractis vol. XXIII. p. 89. med.: ἐπὶ θάτερα κατώτερον τοῦ σφυροῦ ἀντερείδειν, p. 117. ex.: τὸ κατώτερον τοῦ ὀστέου, de morbis vulgar. vol. XXIII. p. 530. in.: κατώτερον, ἀνώτερον = de capit. vulnerib. vol. XXIII. p. 348. in. (bis) et med.; adde Aristotel. 851ᵇ 4: κεραία ἀνώτερον ἀγομένη (cf. v. 2.). Adverbiis in -ώτερον exeuntibus aliqua ex parte superlativos illos in -ωτατα confirmari apparet.

4) V. Bredov. p. 328. ss.

VII 4, 6: *ἐτετάχατο*. Neque *ἀφῖκτο* cum Badhamo Stahlio aliis corrigi nolo in *ἀφίκατο* VII 75, 6: *σῖτος γὰρ οὐκέτι ἦν τῷ στρατοπέδῳ, καὶ μὴν ἡ ἄλλη αἰκία καὶ ἡ ἰσομοιρία τῶν κακῶν ἔχουσά τινα ὅμως τὸ μετὰ πολλῶν κούφισιν οὐδ' ὡς ῥᾳδία ἐν τῷ παρόντι ἐδοξάζετο, ἄλλως τε καὶ ἀπὸ οἵας λαμπρότητος καὶ αὐχήματος τοῦ πρώτου ἐς οἵαν τελευτὴν καὶ ταπεινότητα ἀφῖκτο*. Hoc qui defendunt, aut non sine difficultate subiectum *τὸ στρατόπεδον* cogitando supplent aut, quae interpretatio etiam deterior est, *ἀφῖκτο* impersonaliter dictum esse volunt: *αὔχημα* enim non posse tribui nisi personis Stahl recte adnotavit.

Reliquis locis Thucydides sollemnem declinandi rationem Atticorum secutus est, velut IV 32, 1: *τεταγμένοι ἦσαν*, I 114, 1: *διεφθαρμένοι εἰσίν*; neque enim illa saepius quam bis [1]) in tot scriptorum voluminibus reperitur: Plat. Rpl. p. 533 B: *τετράφαται*, Xenoph. Anab. IV 8, 5: *ἀντιτετάχαται*. In titulis Atticis ante annum CCCCX. exaratis eam tribus locis exstare, dehinc ab iis prorsus abesse Cauer p. 413, Meisterhans [2] p. 131 ostenderunt *).

Inquirenti num verborum genera alia sint apud Herodotum et Thucydidem, alia apud reliquos scriptores Atticos haec commemoranda esse mihi visa sunt.

Primum Herodotus et Thucydides, a quibus nemo, quantum scio, stat nisi Euripides (frag. inc. 904. v. 7. N) et nonnulli scri-

---

1) Cf. Krueger. Gr. Gr. I. § 30. 2. 7. — Exempla poetarum tragicorum et Aristophanis suppeditat Gerth. „Quaestion. de Graecae tragoediae dialecto" p. 36 s.

*) Ionicas formas nominum propriorum, quae in Thucydide inveniuntur, supra non attuli, quoniam alios quoque scriptores genuinam dialectum eis reliquisse Matth. Gr. Gr. I. § 68. 8. Kuehner Gr. Gr. 1. § 105. 8. p. 302. § 126. 3. p. 344. Cobet N. L. p. 338. Heiland ‚Quaestionum de dialecto Xenophontea capita selecta' p. 11. p. 17. Sauppe in lexilog. Xenoph. s. v. ‚genetivus' demonstraverunt, hic tamen proponam: I 64, 2: ἐξ Ἀφύτιος (cf schol.: Ἰωνικῶς δὲ εἶπεν Ἀφύτιος· ἔδει γὰρ διὰ τοῦ δ̄.) = Herod. VII 123, 5. — Thuc. II 29, 1: Πύθεω (cf. schol.: ὁ Πύθης, τοῦ Πύθεω, Ἰωνικῶς) = Herod. VII 137, 17. 181, 2. — Thuc. II 29, 1, 7. 67, 1. 95, 1: Τήρεω = Herod. II 137, 16, qui genetivus factus est e nomin. Τήρης. — Thuc. IV 107, 3: ὑπὸ τῶν Γοάξιος παίδων. — Thuc. V 51, 2: Ξενάρης ὁ Κνίδιος Λακεδαιμόνιος; quae forma, quippe quae in nomine hominis Lacedaemonii esset, Meinekio (Herm. III. 363.) valde displicuit. Quapropter apte proposuit Κνιδίου. Porro legi voluit Th. III 19, 2: μέχρι τοῦ Σάνδιος λόφου pro tradito Σανδίου. — Thuc. VIII 44, 2: Ἰηλύσου = Herod. I 144, 13. — Thuc. I 46, 4: Ἐφύρη, de qua forma Stahl, Quaest. gr.' [2] p. 53 exposuit. Quo autem iure Cobet N. L. p. 338 contenderit Λάδη (Thuc. VIII 17, 3. 24, 1.) Ionice dictum esse, non perspicio.

ptores recentiores, ut Dio Chrysostomus, *μεταχειρίζειν* dicunt, et ille quidem III 142, 25, hic I 13, 2 IV 18, 4 VI 12, 2. 16, 6 VII 87, 1, ceteris (Dem. XXIV. 171 al.) *μεταχειρίζεσθαι* probatum est.

Hunc usum iam a grammaticis veteribus animadversum esse testes sunt Photius, Suidas, anonymus in Bekk. anecd. I. 107, 21: *μεταχειρίζειν ἀντὶ τοῦ μεταχειρίζεσθαι· Θουκυδίδης.* Eustathius ad Hom. α 445 (= p. 1429): *οὕτω δὲ καὶ τὸ σέβεσθαι καὶ μεταχειρίζεσθαι καὶ δρέπεσθαι οἱ παλαιοὶ ἐνεργητικῶς προέφερον. φησὶ γὰρ Σοφοκλῆς . . ., καὶ Ἡρόδοτος* (l. l.) *λόγον δώσεις ὧν μετεχείρισας χρημάτων.*

Similiter Herodotus V 89, 13 VIII 68 *β*, 5 et Thucydides I 82, 6 praeeunte Homero (*Π* 629) activo futuro *χωρήσειν* usi sunt, ceteri Attici (Plat. Theaet. p. 166 A, al.), quos Thuc. II 20, 4 IV 57, 1 secutus est, medio *χωρήσεσθαι*[1]). Atque ut cognoscas *χωρήσειν* apud Iones in usu admodum frequenti fuisse, Hippocratis locos, quotquot repperi, subministrabo: de nat. pueri vol. XXI. p. 394. ex., p. 410. med.; — de mulier. morbis lib. I. vol. XXII. p. 614. med., p. 648. med., p. 650. in. et med., p. 651. in., p. 658. ex., p. 668. in., p. 702. ex., p. 703. in.; ‚*περὶ ἀφόρων*' vol. XXIII. p. 4. ex., p. 5. ex. Item apud scriptores posteriores *χωρήσειν* increbruisse ex hisce exemplis patebit: Dion. Hal. A. R. IV. 9. p. 657. R. VI. 9. p. 1048. 38. p. 1127. VIII. 28. p. 1565. Luc. dial. deor. 20, 15. Pausan. I. 12. Cass. D. XXXVIII. 46. 3. XLV. 35. 4. Appian. bell. civ. V. 142.

Dein Herodotus et Thucydides et *πειράσασθαι* (Herod. I 84, 5 VII 106, 12. 135, 18. Thuc. II 44, 2. 85, 2 IV 60, 2. 114, 4. 117, 1 V 69, 1) et *πειραθῆναι* (Herod. II 111, 18 VII 135, 16. Thuc. II 5, 5. 33, 2 VI 92, 4) receperunt, reliquis Atticis *πειραθῆναι* scribere mos fuit[2]), nisi quod Plato uno loco, Gorg. p. 474 A, *πείρασαι* admisit. Cum Herodoto et Thucydide poetas epicos consentire Rutherford. ad Phryn. p. 192, Veitch. p. 519 s. demonstraverunt*).

---

1) Activa futura copulatorum verborum, συγχωρήσειν, ἐγχωρήσειν, ὑπεκχωρήσειν aliorumque communia fuisse Krueger ad Thuc. I 86 Veitch. p. 710. ostenderunt.

2) V. Poppo. ‚De Graecorum verbis mediis passivis deponentibus recte discernendis' p. 23. adn. 4.

*) Ἀπομνήσεσθαι Thuc. I 137, 2 et propter mutandi facilitatem et quia III 90, 1 in omnibus libris μνησθήσομαι est, viri docti in ἀπομνησθήσεσθαι iure cor-

Denique Herodotus et Thucydides et *μέμψασθαι* et *μεμφθῆναι* probaverunt, ceteri Attici hanc formam spreverunt. Apud Herodot. *μεμφθῆναι* praevalet; quattuor enim locis legitur: I 77, 3 III 13, 16 IV 180, 20 VII 146, 7: *Ξέρξης μεμφθεὶς τῶν στρατηγῶν τὴν γνώμην πέμπει τῶν τινας δορυφόρων*; *μέμψασθαι* duobus occurrit: II 24, 1 VIII 106, 19. Apud Thucydidem *μεμφθῆναι* est IV 85, 2: *εἰ δὲ χρόνῳ ἐπήλθομεν σφαλέντες τῆς ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πολέμου δόξης, μηδεὶς μεμφθῇ.* — *μέμψασθαι* I 143, 3 II 64, 4 III 37, 4. 61, 1 VIII 109, 1 [1]).

Ne hic quidem usus grammaticos veteres fugit; namque Photis adnotavit: *μεμφθῇ· τὸ μέμψηται· Θουκυδίδης.* Antiatticista (in Bekk. anecd. I. 109.): *μεμφθῇ ἀντὶ τοῦ μέμψηται· Θουκυδίδης τετάρτῳ.*

Pindari et Euripidis locos Krueger Gr. Gr. II. § 39. et Veitch. collegerunt.

---

rexerunt, quamquam scholiasta, cum explicaret ἀποδοῦναι μνησθέντα in libro suo ἀπομνήσασθαι invenisse videtur. Num in Dinarchi I. 37. ἀναμνήσεσθε, cuius P. Vogel ,In Dinarchum curae grammaticae rhetoricae criticae' (p. 9) saltem mentionen facere debuit, ferri possit, alii diiudicaverint. Sine ulla vero causa probabili Ludovicus Dindorfius formas medias ex Herodoto I 5, 19. 51, 20. 177, 5 II 101, 9 removeri iussit. Etenim quod Photius, ad quem Dindorfius recurrit, bibl. cod. 190. p. 150, 9 (B) Herodoti locum I 51, 20 laudans ἐπιμνησθήσομαι obfert, eum audiendum esse nego, quoniam ne verba quidem Herodotea servavit: cf. Phot.: (καὶ Ἡρόδοτός φησιν ἐν πρώτῃ ἱστοριῶν ὅτι) ,εἰδὼς αὐτοῦ τὸ ὄνομα οὐκ ἐπιμνησθήσομαι' Herod.: τοῦ ἐπιστάμενος τὸ οὔνομα οὐκ ἐπιμνήσομαι — nec minus nego ex eo quod Herod. II 3, 11 ἐπιμνησθήσομαι (et VI 19, 6 μνησθήσομαι) scripsit, argumentum repeti posse. Quid? quod Hippocrates de morb. vulg. lib. I. vol. XXIII. p. 400. ex., lib. II. p. 343. in. futuro medio atque Herodotus et aoristo medio (VII 39, 5) et aoristo passivo aeque ac poetae usi sunt. Euripides vero praeter futurum passivum (Med. 933) etiam futurum medium (I. A. 667) praebet.

1) Hunc ad modum corrige Classeni adnotationem ad Thuc. IV 85, 2 parum accuratam.

CAPUT II.

De delectu verborum.

Hoc capite non solum ea verba enumerare mihi in animo est, quae Herodoti et Thucydidis aut propria aut familiaria sunt, apud ceteros autem scriptores non inveteraverunt, sed etiam ea, quibus vis subiecta est a vulgari diversa. Neque igitur, cum id agamus, ut demonstremus illos aliqua orationis similitudine coniunctos eaque ab his remotos esse, ea quae casu fortuitoque ab his abesse putamus neque terminos qui dicuntur technicos recipere nobis visum est. Itaque praetermisimus e. c. primum vocabula qualia sunt *ἀπαράσσειν* (Herod. VIII 90, 11. Thuc. VII 63, 1), *ἐνστρατοπεδεύειν* (Herod. IX 2, 4. 25, 10. Thuc. II 20, 4) *πρόπειρα* (Herod. IX 48, 10 Thuc. III 86, 4) .... tum verba huiusce generis: *ἄπλοια* (Herod. II 119, 7 Thuc. II 85, 6 IV 4, 1 VI 22, 2 VIII 99, 2), *ἀποβάθρα* (Herod. IX 98, 7 Thuc. IV 12, 1)[1]), *βραχέα* = vada (Herod. II 102, 7 IV 179, 8. 13, ubi v. Baehrium; Thuc. II 91, 4)[2]), *κοντός* (Herod. II 136, 23. 25 IV 195, 12 Thuc. II 84, 3, cf. Poll. I. 94. X. 134), *σινδόνες* = amictus tenues (Herod. II 95, 11 Thuc. II 49, 5, cf. Baehr. ad Herod. II 86), *σπασμός* (Herod. IV 187. Thuc. II 49) ....

---

1) V. Hesych. s. v. ἀποβάθρα, Kuehnium et Jungermannum ad Poll. I. 93 (X. 134.). Phryn. in Bekk. anecd. I. p. 12., schol. ad Thuc. l. l., Hemsterhus. ad Luc. dial. mort. X. 10. (= edit. Bip. vol. II. p. 459.), Schweighaeuserum et Baehr. ad Herod. l. l., interpret. ad Thuc. l. l.

2) Cf. Verg. Aen. I. 111. Xenoph. Oecon. 19. 5, ubi βαθύτερον et βραχύτερον inter se opponuntur.

In priorem classem etiam nonnulla substantiva verbalia in -σις et -της desinentia, quae Thucydidem in deliciis habuisse notum est[1]), ut δόκησις (Herod. VII 185, 3 Thuc. II 35, 2. 84, 1 III 43, 1. 45, 2 IV 18, 5. 55, 2. 87, 1. 126, 4 VI 64, 2 VII 67, 1), δεξιότης (Herod. VIII 124, 10 Thuc. III 37, 3) referenda sunt.

Neque vero dubitavi ea verba assumere, quae Herodoto et Thucydidi cum poetis communia sunt. Etenim cum alii, quorum Plato facile primus est, poeticis verbis uterentur, quia divino quodam spiritu inflati cotidiani sermonis quodammodo obliti sunt, alii — multos dico recentiorum scriptorum — eiusmodi verba undique conquirerent, quibus orationem suam ornarent, alii alio consilio; Herodotus et Thucydides in ea haud raro videntur incidisse, quod ars oratione prosa scribendi ea aetate tanquam in incunabulis nequedum corroborata erat[2]).

Verborum, quae editores Herodoto et Thucydidi peculiaria esse perperam dixerunt, difficiliora ad expediendum ex Atticorum operibus paucis attigimus, faciliora, ut διακινεῖν[3]) (Herod. III 108, 17 Thuc. V 25, 1 Xenoph. Cyn. III. 4 IV. 3), ἀπόπειρα[4]) (Herod. VIII 9, 7 Thuc. VII 21, 2 Demosth. XVII. 26) silentio praeteriimus.

Ubi e posterioribus scriptoribus exempla attulimus, omnia aut plurima eorum et in Stephani thesauro et in lexicis Papii et Passovii desunt.

Iam vero recenseamus

§ 1. nomina substantiva.

Αἰγιαλός vox Ionica est, quam Herodotus hisce locis porrigit: VII 59, 1, 10, 13. 100, 12, 15. 115, 2. 176, 5. 183, 16. 188, 2, 5, 17 IX 98, 11, 12. 99, 3 Hippocr. de nat. muliebri vol. XXII. p. 556. med., de mulier. morb. lib. I. vol. XXII. p. 720. med. Thucyd. I 7 IV 42, 2 (bis) VI 52, 1 VII 74, 2 VIII 37, 3. Eam quidem etiam apud Xenophontem (Anab. VI 4, 1. 4, 7 Hel-

---

1) V. Lobeck. ad Phryn. p. 351. Poppo. ‚De elocut. Thuc.‘ p. 167 s. Classeni praef. ad Thuc.[3] p. LXXXIII. Boehmii[3] p. XXIII. Stahlii p. XXII. Gast. ‚De Thuc. oratione‘ p. 7.

2) Cf. Wilamowitz. ‚Philolog. Untersuch.‘ VII p. 313. Boehmii praef. ad Thuc.[3] p. XXI.

3) Cf. Classen. ad Thuc. V 25, 1.

4) Cf. Krueger. ad Thuc. VII 21, 1.

len. II 1, 25. 4, 8) invenimus, sed rectissime et Sauppe (lexilog. Xenoph.) et Kuehner (ad Anab. VI 4, 1) et Krueger (in vocabulario editioni adiecto) in Ionicorum verborum quae in Xenophonte occurrunt numerum rettulerunt. Locos Aristotelicos sciscitanti Bonitz in indice Arist. suppeditat.

Similiter de *ἀλκή* vocabulo res se habet: nam hoc quoque cum a Xenophonte receptum esset et in poetarum sermone floreret, a reliquis Atticis missum factum est [1]). Ex Herodoto autem primum hos locos afferamus: III 110, 7: *θηρία ἐς ἀλκὴν ἄλκιμα.* IV 132, 7: *τὴν ἑωυτῶν ἀλκὴν παραδιδόναι*, e Thuc.: I 80, 3 (ex oratione Archidami): *πρὸς τοὺς Πελοποννησίους καὶ τοὺς ἀστυγείτονας παρόμοιος ἡμῶν ἡ ἀλκή.* II 87, 4: *τέχνη ἄνευ ἀλκῆς οὐδὲν ὠφελεῖ.* III 30, 2: *πολὺ τὸ ἀφύλακτον εὑρήσομεν κατὰ θάλασσαν καὶ πάνυ, ᾗ ἐκεῖνοί τε ἀνέλπιστοι ἐπιγενέσθαι ἄν τινα σφίσι πολέμιον καὶ ἡμῶν ἡ ἀλκὴ τυγχάνει μάλιστα οὖσα.* IV 32, 4: *τοξεύμασι καὶ ἀκοντίοις καὶ λίθοις καὶ σφενδόναις ἐκ πολλοῦ ἔχοντες ἀλκήν.* VI 34, 9: (*δεῖ*) *παραστῆναι παντὶ τὸ καταφρονεῖν τοὺς ἐπιόντας ἐν τῶν ἔργων τῇ ἀλκῇ δείκνυσθαι.* Porro Xenoph. Ages. 10, 1 Hier. 9, 6 Cyr. VII 5, 75 Hell. IV 8, 19 VI 1, 12 huc pertinent. Deinde ii loci comparandi sunt, quibus *ἀλκή* cum aliis vocabulis simili modo coniungitur. Herod. II 45, 7: *ἐς ἀλκὴν τραπόμενοι.* III 78, 5: *πρὸς ἀλκὴν ἐτράποντο.* IV 125, 21: *οὔτε πρὸς ἀλκὴν ἐτράποντο.* IX 102, 18. Thuc. II 84, 3: *οἱ Ἀθηναῖοι κατέστησαν, ἐξ ἀλκὴν μὲν μηδένα τρέπεσθαι αὐτῶν ὑπὸ τῆς ταραχῆς, φεύγειν δὲ* ... III 108, 1: *οἱ Ἀκαρνᾶνες τρέπουσι* (*τοὺς Πελοποννησίους*), *ὥστε μήτε ἐς ἀλκὴν ὑπομεῖναι φοβηθέντας τε ἐς φυγὴν τὸ πλέον τοῦ στρατεύματος καταστῆσαι.* Etiam in posteriorum scriptorum operibus ea verba obviam sunt. — Denique prorsus in Homeri loquendi consuetudinem Herodotum IX 70, 21 incidisse: *οὐδέ τις αὐτῶν ἀλκῆς ἐμέμνητο* unusquisque concedet, si recordatus erit illud Homeri *Ζ* 112 *Λ* 287: *ἀνέρες ἔστε, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς.* Cf. *Λ* 313 *Ν* 13 *Ο* 527 *δ* 527.

Quaerentes quo modo Thucydides *ἀλκή* vocabulum evitare potuerit, aliud quidem verbum quod tam gemellum sit, ut salvo enuntiatorum sensu cum eo permutemus, non novimus, at certe si Thucydides eis quos primo attulimus locis *ἰσχύς* vel *δύναμις* adhibuisset, eandem sententiam aperire potuit. In ceterorum vero

1) Cf. Rutherford. ad Phryn. p. 25. Krueger. et Classen. ad Thuc. II 84.

locorum sensum *ἀνθίστασθαι* optime conveniat. Quare non casu videtur accidisse, quod in prioribus quattuor libris non ita raro, in posterioribus semel *ἀλκή* legitur, sed eo, quod intra illud quo Thucydidis opus compositum est temporis spatium dialectus Attica magis magisque explicabatur et perficiebatur.

Vocabulum *ἀνοκωχή* [1]) = dilatio, quo usus Thucydides a Dionys. Hal. epist. II. ad Am. c. 3 vituperatur id numerante inter *γλωσσηματικά* et *ἀπηρχαιωμένα* et *δυσείκαστα τοῖς πολλοῖς*, ipsum quidem apud Herod. non reperitur, tamen *ἀνοκωχεύειν* = retinere exstat VII 36, 8: *ἵνα ἀνοκωχεύῃ* sc. *ἡ γέφυρα* s. *σχεδίη τὸν τόνον τῶν ὅπλων*. VII 100, 12. 116, 8. 168, 13 IX 13, 4. Adde Hippocr. de artic. vol. XXIII. p. 148. in., p. 183. med., Soph. Electr. 732 (D). — Thucydides *ἀνοκωχή* habet IV 117, 1: *γενομένης ἀνοκωχῆς κακῶν καὶ ταλαιπωρίας*. VIII 87, 4. Plurimis autem locis angustiore sensu dictum est ita ut valeat ‚indutiae': I 40, 4: *Κορινθίοις μέν γε ἔνσπονδοί ἐστε, Κορκυραίοις δὲ οὐδὲ δι' ἀνοκωχῆς πώποτ' ἐγένεσθε*. I 66: *οὐ μέντοι ὅ γε πόλεμός πω ξυνερρώγει, ἀλλ' ἔτι ἀνοκωχὴ ἦν*. III 4, 4 IV 38, 1 V 25, 3. 26, 3 (cf. § 2: *τὴν διὰ μέσου ξύμβασιν*) 32, 7. — E recentioribus scriptoribus Stephanus in thes. et Pierson. ad Moer. p. 86. exempla contulerunt.

In voce *ἀντιπόλεμος*, quae apud Thucydidem III 90, 1 exstat, Pollux adeo offendit, ut I. 150 praeciperet: *λέγειν δὲ χρὴ ἐχθροί ‚πολέμιοι'. τὸ γὰρ τῶν ἀντιπολέμων ὄνομα, εἰ καὶ Θουκυδίδης αὐτῷ κέχρηται, σκληρόν ἐστι, βέλτιον δ' ἀντιπολεμοῦντες*. Quod non temere dictum; neque enim usquam *ἀντιπόλεμος* [2]) est nisi apud Herod. IV 134, 7. 140, 10 VII 226, 17 (ubi v. Abichtium) VIII 68 β, 2 et apud scriptores posteriores, Dionys. Hal., Aelian., Cass. Dion. [3]). Melius autem eo vel potius apud Atticos usitatius *ἀντιπολεμοῦντες* esse Plat. Criti. p. 112 E. Xen. Cyr. VII 2, 24 confirmant.

Ἐπαύρεσις vocabulum Thuc. II 53, 2 *ταχείας τὰς ἐπαυρέσεις καὶ πρὸς τὸ τερπνὸν ἠξίουν ποιεῖσθαι* et propter locorum, qui-

---

1) ἀνοκωχή, non ἀνακωχή scribendum esse Stahl ‚Quaest. gr.' [2] p. 43 s. evicit.

2) Formam ἀντιπόλεμος, pro qua codices Thucydidei omnes, codd. Herodotei IV 134. 140 praeter R omnes ἀντιπολέμιος exhibent, et ad Poll. l. l. et Hesychii notam: ἀντιπολέμους· πολεμίους et librorum Herodoteorum VII 236 VIII 68 consensum, ni fallor, Stahl et Bredov. p. 67 iure restituerunt. Cf. Baehr. ad Herod. IV 134.

3) V. Sturz. ad Cass. D. XXXVI 20, 4 Dind.

bus occurrit, paucitatem, Herod. VII 158, 9: *ἡμῖν μεγάλαι ὠφελίαι τε καὶ ἐπαυρέσιες*[1]) *γεγόνασι*, Democrit. apud Stob. flor. 76. 17 = vol. III. p. 78. M et quod radix, a qua ortum est, ab Attica dialecto abhorret[2]), notabile est; Attice enim *ἀπόλαυσις* (Thuc. II 38, 2. 42, 4) ponitur. Quare Andocides, cum II 2 scripsit *τί ποτε οὗτοι οἱ ἄνδρες δεινῶς οὕτως περικαίονται, εἴ τι ὑμᾶς χρὴ ἀγαθὸν ἐμοὶ ἐπαυρέσθαι* admirationem movit Rutherfordio (ad Phryn. p. 30.), quippe qui Andocidem interdum tragicum sermonem appetere non meminisset[3]): scilicet a tragicis (reliquisque) poetis haec vox usu recepta est; item ab Aristotele, Cassio Dione aliisque recentioribus usurpatur[4]). Herodoti et Hippocratis locos (omnes, puto) afferre iuvat: Herod. VII 180, 7: *τάχα δ' ἄν τι καὶ τοῦ ὀνόματος ἐπαύροιτο*. Hippocr. in iureiur. vol. XXI. p. 3. in., praecept. vol. XXI. p. 78. med., de nat. pueri vol. XXI. p. 385. in., p. 402. ex., p. 414. in.[5]) (bis), p. 418 ex., de glandul. vol. XXI. p. 497. in., de vict. rat. lib. III. vol. XXI. p. 730. in., de morbis lib. IV. vol. XXII. p. 325. med. et ex., p. 336. ex., p. 337. in. et med., p. 340. ex., p. 343. ex., p. 344. in., p. 345. in. [p. 350. in., p. 359. ex. (bis)][6]), p. 365. med., p. 370. ex. p. 374. in., de mulier. morb. vol. XXII. p. 615. in. (epist. vol. XXIII. p. 773.).

Exemplum e Democrito relicuum Valcken. ad Herod. VII 180 et Buttmann. lexilog. I. p. 77. attulerunt.

Vocem *κῆδος* notantem ‚affinitas nuptiis effecta‘, quae apud Herodot. VII 189, 6: *Βορέης δὲ κατὰ τὸν Ἑλλήνων λόγον ἔχει γυναῖκα Ἀττικήν, Ὠρειθυίην τὴν Ἐρεχθῆος. κατὰ δὴ τὸ κῆδος τοῦτο οἱ Ἀθηναῖοι ἐπεκαλέοντο τόν τε Βορέην καὶ τὴν Ὠρειθυίην* Thuc. II 29, 3: *εἰκὸς τὸ κῆδος Πανδίονα ξυνάψασθαι* et apud Aeschyl. Suppl. 330 (D) Soph. O. C. 379 Euripid. Andr. 620. Or. 753. Phoen. 77. aliisque locis exstat, in oratione Attica Thucydide posteriore (De-

---

1) Stein. male edidit ἐπαυρήσιες non obsecutus Lobeckio ad Phryn. p. 447.

2) V. Classen. ad Thuc. l. l.

3) V. Blass. ‚Att. Beredsamk.‘ I² p. 301 s.

4) V. Buttmann. ‚Ausführl. gr. Spr.‘ II. p. 121. s. Matth. Gr. Gr. I. § 224. p. 535. s. Kuehner. Gr. Gr. I. p. 816. Veitch.

5) Hoc loco et ‚de morb.‘ lib. IV. vol. XXII. p. 374. in. ἐπαυρίσκεσθαι pro tradito ἀπαυρίσκεσθαι legendum esse ostendit Buttmann. lexilog. I. p. 74. s.

6) His locis, cum notione consumendi egeamus, ἐπαυρίσκεσθαι in ἀπαυρίσκεσθαι mutandum esse censeo. Cf. Buttmann. lexilog. p. 75. et Erotiani glossam p. 58. (Franz): ἀπαυρίσκεται· ἀπόλλυται.

mosth. XXIII. 157 Xen. Mem. II 6, 36) *κηδεία* excepit [1]). Nam quod in Ps.-Aeschin. ep. X. 1 *οὐ κήδους* olim legebatur, Dobraeum sequor, qui sensui succurrens *οὐκ ἔθους* coniecit. A Dionys. autem Hal., Cass. D., Paus. eam in lucem reductam esse palam fecerunt Stephanus in thes. et interpretes Thuc. l. l. Adde Plut. vit. Alex 10.

Ναυβάτης vocabulo civitatem dedit Herod. I 143, 4: *οὔκω ἦσαν οἱ Πέρσαι ναυβάται* Thucyd. I 121, 3: *ὑπολαβεῖν οἷοί τ' ἐσμὲν μισθῷ μείζονι τοὺς ξένους αὐτῶν ναυβάτας.* VII 57, 7: *πεζοὺς ἀντὶ ναυβατῶν πορευομένους.* VIII 44, 1. Quod cum apud tragicos frequens sit, Pollux I. 95 *τραγικώτερον* iure appellat [2]).

Ξυμφορά notione media ‚eventus' apud poetas, Aeschyl. Agam. 24 D. Eum. 1020. Soph. O. R. 44. Electr. 1230. 1448. Eurip. Io. 536. Alc. 1155. Aristoph. Eq. 655. Lys. 1276., Herodotum Thucydidem aliquantum inveteravit, apud reliquos scriptores non tenuit nisi in Plat. Legg. p. 709 A: *τύχαι καὶ ξυμφοραὶ παντοῖαι πίπτουσι παντοίως νομοθετοῦσι τὰ πάντα ἡμῖν*, quod opus omnino a ceteris sermone differre iam Krueger (ad Herod. I 100) perspexit. Apud Thucydidem autem *ξυμφορά* vox quae dicitur media est I 140, 1: *εἰδὼς τοὺς ἀνθρώπους πρὸς τὰς ξυμφορὰς καὶ τὰς γνώμας τρεπομένους*, ibid.: *ἐνδέχεται τὰς ξυμφορὰς τῶν πραγμάτων οὐχ ἧσσον ἀμαθῶς χωρῆσαι ἢ* . . . (cf. schol.: *ἀποβαίνοντα, ἀποβάσεις*),

apud Herodot. I 32, 22: *ἡ ἑτέρη αὐτέων (τῶν ἡμερέων) τῇ ἑτέρῃ τὸ παράπαν οὐδὲν ὅμοιον προσάγει χρῆμα. οὕτω ὦν πᾶν ἐστι ἄνθρωπος συμφορή.* VII 49, 12: *αἱ συμφοραὶ τῶν ἀνθρώπων ἄρχουσι καὶ οὐκὶ ὤνθρωποι τῶν συμφορέων.* Porro huc pertinere videntur I 41, 4: *συμφορῇ πεπληγμένον ἀχάριτι.* VII 190, 10: *ἄχαρις συμφορή.* 88, 5: *ἐπὶ συμφορὴν περιέπεσε ἀνεθέλητον.*

In Luciani Asin. c. 56. *συμφορά* ita intellegendum esse vidit Gesner edit. Bip. II. p. 504. Ceterum conferas quae de verbo *ξυμφέρεσθαι* disputabimus.

Ὁμαιχμία vox Ionica ab Herodoto VII 145, 12 VIII 140 α, 21, a Thucydide I 18, 3 [3]) usurpata est; cf. III 58, 4, ubi socii

---

1) Poll. III. 30: καὶ κῆδος ἡ ἐπιγαμία κατὰ Θουκυδίδην καὶ κηδεία κατὰ Δημοσθένη καὶ κήδευμα κατὰ Πλάτωνα (Legg. p. 773 B).

2) Verba eius sunt: τὸ ναυβάτας ὀνομάζειν τραγικώτερον, βέλτιον δὲ τὸ ἐπιβεβηκότας καὶ ἐμπλέοντας, μάλιστα δ' ἐπιβάτας.

3) V. Kruegeri notam. Cf. Brueckner. ‚De tetralogiis Antiphonti Rhamnusio adscriptis' p. 10.

ὅμαιχμοι appellantur. Itaque Pollux non solum suadet (I. 153), ne quis ea utatur, sed etiam eam plane explodit (IV. 30). Sed erant, qui minus severe iudicarent neque eam novare dubitarent, Dionys. Hal. A. R. III. 33 VI. 74 Appian. Gall. c. 15. al.

Ὅμιλος vocabulo Herodoti Thucydidis [1]) poetarum inde ab Homero opera scatent, reliqui Attici quantum scio ab eo abstinuerunt. Est autem apud Herod. I 88, 10: ὁ πολλὸς ὅ. IV 135, 14: ἐρημωθέντες τοῦ ὁ. 159, 12: συλλεχθέντος ὁ. πολλοῦ. V 23, 13: ὅ. πολλός = 32, 6. VII 41, 15: ὁ λοιπὸς ὅ. 42, 10: συχνὸν ὅ. διέφθειραν. 184, 6: τὸν ἑκάστων τῶν ἐθνέων ὅ. 184, 11. VIII 32, 5: δέξασθαι ὅμιλον. 128, 14. IX 70, 2: ὁ ἄλλος ὅ., apud Thucyd. II 31, 2: ὁ ἄλλος ὅ. τῶν ψιλῶν. 34, 8. 36, 4: τὸν πάντα ὅ. καὶ ἀστῶν καὶ ξένων. 65, 4: ὅπερ φιλεῖ ὅ. ποιεῖν (quae sententia ὄχλος aut δῆμος pro ὅμιλος substituto IV 28, 3 VI 63, 2 VIII 1, 4 repetitur) 98, 4. 100, 6. III 1, 1: τὸν πλεῖστον ὅ. τῶν ψιλῶν. IV 106, 1: ὁ ἄλλος ὅ. 112, 3. 124, 1. 125, 2: τὸν ψιλὸν ὅ. ἐς μέσον λαβών. VI 17, 4. 24, 3: ὁ πολὺς ὅ. 30, 2: ὁ ἄλλος ὅ. ἅπας ὁ ἐν τῇ πόλει. 32, 2. VII 58, 4.

Omnibus qui praecedunt locis ὅμιλος significat ‚hominum multitudo, turba'; hisce idem est ac θόρυβος: Herod. III 127, 13: τίς ἂν ἐπιτελέσειε σοφίῃ καὶ μὴ βίῃ τε καὶ ὁμίλῳ; IX 60, 1: βοῇ τε καὶ ὁμίλῳ ἐπήισαν. E scriptoribus posterioribus hi loci in promptu sunt: Dion. H. A. R. I. p. 203 R: ποιμενικός ὅ., Plut. vit. Mar. 45: σύγκλυδος ὁ., vit. Lucull. 27: βάρβαρος ὅ., Lucian. [2]) Menipp. 15: τὸν ἄλλον ὅ. τῶν νεκρῶν. Asin. 37: ὁ αὐλητὴς ὅ., de luctu 2: ὁ πολὺς ὅ., Cass. D. XXXVI 23, 5 D. XXXVII 22, 1: τῷ ὁ. χαριεῖσθαι. XXXVIII 13, 1 XLII 30, 2 XLIV 20, 4 LI 3, 1 LX 7, 3 alii.

De ὀργή vocabuli significatione ‚natura, indoles ‚ingenium, mores', quoad valuerit, cum nonnulli viri docti, Boehme Krueger ad Thuc. I 130, 2 alii prorsus falsa praecipiant, accuratius me dicere opus est. Atque hanc significationem apud Herodotum et Thucydidem exstare et apud poetas, Aesch. Prom. 80. D. Soph. Ai. 640. 1153. Antig. 956. Eurip. Troad. 53. Aristoph. Eq. 41. Pind. Pyth. I. 89. Theogn. 310. Z. 963. al. frequentem esse Krueger et Boehme recte tradunt; sed errare eos, cum eam in

1) Ps.-Plat. Tim. Locr. p. 96 E in transitu attingamus.

2) Num G. Schmid ‚Atticismus' I. p. 340. iure contenderit Lucianum hoc vocabulum a poetis mutuatum esse, dubitari licet.

Attico sermone post Thucydidem perisse arbitrantur et a labentis demum graecitatis scriptoribus ab oblivione vindicatam esse, ex exemplis, quae e Platone et Aeschine eruimus, clarescet. Nihilo magis Werfero, act. philologor. Monac. I. p. 77., Steinio ad Herod. VI 128 Abichtio ad Herod. I 73 ,apud Iones frequentissime *ὀργή* pro ,ingenium, indoles' accipiendum esse' consentibus assentimur, quamquam ex Hippocrate nonnulla congessimus exempla, quae eis videntur latuisse. Haec enim fere omnia ex eodem sententiarum nexu et ex uno opusculo petita sunt. Certe Werfer duobus illis locis Herodoteis, quos affert, nemini persuadebit.

Iamiam exempla perlustremus.

Herod. III 131, 3: *πατρὶ συνείχετο ἐν τῇ Κρότωνι ὀργὴν χαλεπῷ.* VI 128, 5: *Κλεισθένης διεπειρᾶτο αὐτῶν τῆς τε ἀνδραγαθίης καὶ τῆς ὀργῆς καὶ παιδεύσιός τε καὶ τρόπου.* Anceps est I 73, 18: *ἦν γὰρ (ὁ Κυαξάρης) ὡς διέδεξε ὀργὴν ἄκρος*, quae verba valent vel „natura fuit acri sive vehementi" vel „praeceps erat in iram". Hippocrat. de aëre locis aquis vol. XXI. p. 530. ex.: *λαμπρόφωνοί τε οἱ ἄνθρωποι ὀργήν τε καὶ ξύνεσιν βελτίους εἰσὶ τῶν πρὸς βορέην*, quo loco ii, qui *ὀργὴν* ,iram' interpretantur, a Corayo (in edit. vol. II. p. 203.) refelluntur. — ibid. p. 553: *ἀφ' ὅτων εἰκὸς τὴν ὀργὴν ἀγριοῦσθαί τε καὶ τοῦ γνώμονος καὶ θερμοῦ μετέχειν μᾶλλον ἢ ἐν τῷ αὐτέῳ ἀεὶ ὄντα.* — ibid. p. 567: *ἐν ταύτῃ τῇ χώρῃ τὰ εἴδεα εἰκός τε σκληρά τε εἶναι καὶ ἔντονα καὶ ξανθότερα ἢ μελάντερα, καὶ τὰ ἤθη καὶ τὰς ὀργὰς αὐθάδεις τε καὶ ἰδιογνώμονας* = p. 568. Thuc. I 130, 2: *δυσπρόσοδόν τε αὐτὸν παρεῖχε καὶ τῇ ὀργῇ οὕτω χαλεπῇ ἐχρῆτο (ὁ Παυσανίας) ἐς πάντας ὁμοίως ὥστε μηδένα δύνασθαι προσιέναι.* — III 82, 2: *ἐν μὲν εἰρήνῃ καὶ ἀγαθοῖς πράγμασιν αἵ τε πόλεις καὶ οἱ ἰδιῶται ἀμείνους τὰς γνώμας ἔχουσι διὰ τὸ μὴ ἐς ἀκουσίους ἀνάγκας πίπτειν. ὁ δὲ πόλεμος ὑφελὼν τὴν εὐπορίαν τοῦ καθ' ἡμέραν βίαιος διδάσκαλος καὶ πρὸς τὰ παρόντα τὰς ὀργὰς τῶν πολλῶν ὁμοιοῖ*[1]).

---

1) schol.: τοῖς παροῦσιν ἐξομοιοῖ τὰς γνώμας. νῦν γὰρ ὀργὰς τὰς γνώμας καὶ τοὺς τρόπους ἐκάλεσεν. — Suid. s. v. ὀργή· ὀργῇ παρὰ Θουκυδίδῃ ἀντὶ τοῦ διανοίᾳ, τρόπῳ, σκοπῷ. — Perperam Krueger (in adnot. ad h. l.) huc refert III 85, 1, ubi v. Classen. Etiam Thuc. VIII 83, 3: πάντων τε Ἀστύοχον εἶναι αἴτιον ἐπιφέροντα ὀργὰς Τισσαφέρνει διὰ ἴδια κέρδη paulo a locis supra laudatis differt, quippe quo ὀργή respondeat nostro ,Neigung'. — Porro significatione „animi impetus, studium, ardor", quam G. Curtius ,Etymol.'[5] p. 184. primigenariam esse evicit, hisce locis ὀργή praeditum est: I 31, 1. 140, 1 II 11, 4 III 45, 4 V 70 VI 17, 1 VII 68, 1.

Plat. Legg. p. 908. *E*: *τούτων δὴ ταύτῃ διεστηκότων τοὺς μὲν ὑπ' ἀνοίας ἄνευ κακῆς ὀργῆς τε καὶ ἤθους γεγενημένους εἰς τὸ σωφρονιστήριον ὁ δικαστὴς τιθέμενος νόμῳ τιθέσθω μηδὲν ἔλαττον ἐτῶν πέντε.* Aeschin. II. 179: *ὑπὲρ ὧν* (sc. *τῶν μικρῶν παιδίων*) *ἐγὼ δέομαι καὶ ἱκετεύω πολλὴν πρόνοιαν ποιήσασθαι καὶ μὴ τοῖς ἐχθροῖς αὐτοὺς μηδ' ἀνάνδρῳ καὶ γυναικείῳ ἀνθρώπῳ τὴν ὀργὴν παραδοῦναι*: miror quod Benseler hic *ὀργὴν* ‚iram' interpretatus est, tanquam feminae ad iram proniores sint. V. Bremium.

Summa igitur huius disputationis haec est, ut negem Thucydidem, quoniam duobus tantum tribusve locis *ὀργή* ‚natura, indoles, ingenium' valeat, hac re proprium inter scriptores Atticos obtinere locum et ad dicendi consuetudinem Jonum propriam sive eis imprimis familiarem inclinare.

Substantivum *ὀρρωδία*, licet verbum *ὀρρωδεῖν* ab optimis scriptoribus Atticis receptum sit [1]), apud Thucydidem solum permansit. Neque enim ea quae apud Harpocrationem s. v. *ὀρρωδία* legimus: *ὀρρωδία δὲ τὸ δέος· Δημοσθένης ἐν δημηγορικοῖς προοιμίοις* nostris codicibus Demosthenicis confirmantur [2]) neque ex eo, quod Pollux V. 122 *ὀρρωδία* inter alia synonyma enumerat, recte concludas hoc vocabulum pariter atque illa usitatum fuisse. Pollucem enim verba trita et insolita vel etiam peregrina interdum promiscue habere apparet e. c. e I. 99. IX. 28., ubi *αἰγιαλός* inter Attica interiectum est.

In Herodoto et Thucydide *ὀρρωδία* hos tenet locos: Herod. IV 140, 16 VII. 36, 2: *ἐς πᾶσαν ἀρρωδίην ἀπίκοντο.* VII 173, 22 VIII 70, 6 IX 7, 20. 101, 11. Thuc. II 88, 1: *Φορμίων δεδιὼς τὴν τῶν στρατιωτῶν ὀρρωδίαν.* 89, 1: *οὐκ ἀξιῶν τὰ μὴ δεινὰ ἐν ὀρρωδίᾳ ἔχειν.* — Euripides eo usus est Med. 317. D. Phoen. 1389. Jon. 403.

Pro *ὅτι* sive *ὡς τάχιστα* ‚*ὅτι* s. *ὡς τάχος*' poetae [3]) praebent et Thuc. VII 42 3: *ἐβούλετο ὅτι τάχος ἀποχρήσασθαι τῇ παρούσῃ τοῦ στρατεύματος ἐκπλήξει* (ubi v. Krueger.), Herod. V 106, 27: *νῦν ὦν ὡς τάχος ἄπες με πορευθῆναι ἐς Ἰωνίην.* IX 7, 29.

---

1) V. Valckenar. ad Ammon. p. 36. s.

2) Alii alios locos ubi Harpocratio in libro suo ὀρρωδία legisset, suspicati sunt: v. Valckenar. l. l.

3) V. Kuehner. Gr. Gr. II. § 349 b 7. p. 26.

Hippocrates de mulier. morbis lib. I. vol. XXII. p. 678. in., epist. vol. XXIII. p. 773. in. (cf. p. 769. med.); item Ps.-Plat. epist. VII. p. 345. E, Aristotel. p. 1531ᵇ 27. At ne hi quidem scriptores idonei sunt, qui testificentur ea verba aeque atque illa Atticis in usu fuisse.

Τιμωρία vocabuli significatio ‚auxilium, subsidium‘ ultra Herodotum Hippocratem Thucydidem non videtur propagata esse. Eorum exempla sunt: Herod. III 148, 13: *μαθὼν ὡς εὑρήσεται τιμωρίαν.* VII 169, 12: *ταῦτα οἱ Κρῆτες ὡς ἀπενειχθέντα ἤκουσαν, ἔσχοντο τῆς τιμωρίης.* VIII 49, 10: *τιμωρίη οὐδεμίη ἐπιφανήσεται.* 65, 16: *μέγα τι σίνος ἔσται τῇ βασιλέος στρατιῇ· τάδε γὰρ ἀρίδηλα, ὅτι θεῖον τὸ φθεγγόμενον, ἀπ' Ἐλευσῖνος ἰὸν ἐς τιμωρίην Ἀθηναίοισί τε καὶ τοῖσι συμμάχοισι.* Hippocrat. de vict. rat. in morbis acut. vol. XXII. p. 35. med.: *παραπλήσιαί εἰσιν αἱ τιμωρίαι τοῖσί τε ὅλῃσι τῇσι πτισάνῃσι χρεομένοισι τοῖσί τε τῷ χυλῷ αὐτέῳ.* de fractis vol. XXIII. p. 118. in. Thuc. I 25, 1: *γνόντες οἱ Ἐπιδάμνιοι οὐδεμίαν σφίσιν ἀπὸ Κορκύρας τιμωρίαν οὖσαν,* ibid.: *τὸν θεὸν ἐπήροντο εἰ τιμωρίαν τινὰ πειρῷντο ἀπ' αὐτῶν ποιεῖσθαι.* 25, 3: *Κορίνθιοι ὑπεδέξαντο τὴν τιμωρίαν* (= 26, 1: *ὠφελίαν*). 38, 6: *ἐλθόντων ἡμῶν ἐπὶ τιμωρίᾳ.* 58, 1: *ὅπως ἑτοιμάσαιντο τιμωρίαν.* 69, 5: *τῇ ἀφ' ὑμῶν τιμωρίᾳ περιγεγενημένους.* 124, 1: *τιμωρίαν ποιεῖσθαι.* III 20, 1: *ἀπὸ τῶν Ἀθηνῶν οὐδεμία ἐλπὶς ἦν τιμωρίας.* IV 25, 9: *ξύμμαχοι ἐς τιμωρίαν ἐπέρχονται.* V 112, 2: *τῇ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τιμωρίᾳ πιστεύοντες.* VI 93, 2: *πέμπειν τινὰ τιμωρίαν* (cf. schol.: *βοήθειαν*).
Cognoscitur maiorem exemplorum Thucydideorum partem primo contineri libro, singula esse in tertio quarto quinto sexto. *Ὠφελία* autem vocabulum, quod sine ullo sensus detrimento pro *τιμωρία* substitui posse e I 26, 1 VI 93, 2 elucet, totidem fere locis libri primi (3, 2. 31, 2. 35, 3, 4. 39, 3. 65, 2) invenitur, in sexto praevalet: 13, 2. 73, 2. 80, 1. 88, 8. 93, 2. 103, 3. Praeterea est II 7. 29, 3. V 38, 2.

Quod de voce *φάκελος*[1]) Marcellinus (vit. Thuc. § 52.): *τὰ μὲν γάρ ἐστιν ἀρχαιότερα τῶν κατ' αὐτὸν χρόνον τὸ αὐτοβοεὶ καὶ τὸ . . . . καὶ ὕλης φακέλους* et Moeris (p. 393 P) *φάκελον Ἀττικῶς·*

---

1) *φάκελος*, non *φάκελλος* scribendum esse ex Eurip. Cyc. 242. patet, quod testimonium neglectum est a Lobeckio ‚pathol. serm. Graec. prolegom.‘ p. 107, adn. 8.

φορτίον, ἔκκαυμα Ἑλληνικῶς inter se pugnant, equidem, cum Moeridis opinionem praeter Thucydidem II 77, 3 solus Euripides Cycl. 242. confirmet [1]), *φάκελος* ab usu Attici sermonis post Thucydidem intermissum esse nec tum obsolevisse opinor. Nam est in Herod. IV 62, 4: *φρυγάνων φάκελοι*. 67, 2: *φακέλους ῥάβδων* et Hippocrat. de mulier. morb. lib. I. vol. XXII. p. 699. med.: *φρυγάνων φάκελοι*.
Apud scriptores posteriores in frequentem usum venit.

§ 2. nomina adiectiva.

Vocabulum *ἀγχίστροφος* obvium est apud Herodot. VII 13, 5: *συγγνώμην μοι ἔχετε ὅτι ἀγχίστροφα βουλεύομαι*, apud Thucyd. II 53, 1: *ἀγχίστροφον τὴν μεταβολὴν ὁρῶντες τῶν τ' εὐδαιμόνων* .... Quod, posteaquam in sermone Attico intercidit, recentiore aetate rursus prodisse ex adnotationibus Popponis ad Thuc. l. l. et Schaeferi ad Dionys. Hal. de comp. verb. p. 300. cognoscitur.

Ἀξιόμαχος e vetustioribus scriptoribus soli [2]) Herodotus et Thucydides usurpaverunt, recentiores ad unum omnes frequentant. V. Herod. VI 89, 4 VII 101, 12. 138, 8. 157, 16. 236, 11, 13. VIII 63, 5. IX 90, 19. Thuc. IV 57, 2 V 2, 3. 60, 3. VIII. 38, 3. 80, 1.

Verbum *Ἰσοπαλής*, quod Herodoti et Thucydidis binis locis invenitur, nescio an reliqui Attici amplexi non sint. Neque enim Plat. Tim. p. 62. E: *εἰ γάρ τι καὶ στερεὸν εἴη κατὰ μέσον τοῦ παντὸς ἰσοπαλές, εἰς οὐδὲν ἄν ποτε τῶν ἐσχάτων ἐνεχθείη διὰ τὴν πάντῃ ὁμοιότητα αὐτῶν* e vulgari dicendi more Atticorum fluxisse, sed Timaei esse videtur. Quae res ex eo colligitur, quod Timaei de mundo sententia ab ipso ibi exposita Parmenidis, quem in poemate (Jonice scripto) eadem voce usum esse Plat. Soph. p. 244. E Aristot. 207^a 17. 976^a 9. 978^b 9. testantur, simillima fuit.
Porro Xenoph. Ages. II. 9: *ἑώρων δὲ τάς τε φάλαγγας ἀλλήλων μάλα ἰσομάλους, σχεδὸν δὲ καὶ οἱ ἱππεῖς ἦσαν ἑκατέρων ἰσοπληθεῖς* alii Hutchisonum secuti pro *ἰσομάλους* supposuerunt *ἰσοπάλους*, alii Leonclavio suadente *ἰσομάχους* praetulerunt. Mihi res non liquet.

---

1) Ad Aristophanis illud (Ran. 839.) κομποφακελορρήμονα, quod aures audientium oblectandi causa fictum sit, provocare non licet. — De reliquis Moeridis verbis sine dubio depravatis copiose expositum est in Piersoni edit. p. 393. ss.

2) Cf. Krueger. ad Thuc. V. 2. Herod. VI. 89.

In Herodoto autem *ἰσοπαλής* est I 82, 18: *μαχομένων δέ σφεων καὶ γινομένων ἰσοπαλέων.* V 49, 44, in Thucydide II 39, 1: *ἡμεῖς δὲ ἀνειμένως διαιτώμενοι οὐδὲν ἧσσον ἐπὶ τοὺς ἰσοπαλεῖς κινδύνους χωροῦμεν.* IV 94, 1.
Cf. Appian. Syr. 5. bell. civ. III. 37. Cass. D. XL 27, 1 D. XLIII 38, 2 XLVII 45, 2 L 18, 5.

Λογάς s. potius *λογάδες* obfertur in Thuc. I 62, 6: *Κορινθίων τε καὶ τῶν ἄλλων λογάδες.* II 25, 3. IV 125, 3. 127, 2. 129, 4. V 60, 3. 67, 2. 72, 3. 73, 3. VI 96, 3. 100, 1. 101, 4, in Herod. I 82, 17: *λογάδες δὲ ἑκατέρων ὑπολειφθέντες συνέβαλον.* VI 15, 5. 56, 7. IX 11, 20. Reliquos locos Schweighaeuser in lexico Herodoteo collegit. — Poetarum nemo, quantum scio, eo vocabulo usus est nisi Euripid. Andr. 324. Hec. 544., recentiorum scriptorum permulti. Loco eius *ἐπίλεκτος* invaluit apud Xenoph. Anab. III 4, 43 VII 4, 11 Hellen. V 3, 23 VII 1, 19. 2, 10, 12. Aeschin. II. 169. Semel Thucydides *λογάδες* et *ἐκλεκτοί* verba alternavit, VI 100, 1: *τριακοσίους σφῶν αὐτῶν λογάδας καὶ τῶν ψιλῶν τινας ἐκλεκτοὺς ὡπλισμένους προύταξαν θεῖν δρόμῳ.*
Hic non indignum videtur commemorare etiam *λογάδην* adverbium, quod Thucydides IV 4, 2. 31, 2 VI 66, 2 habet, a reliquis Atticis abiectum esse. Cf. Suid.: *λογάδην· ἐπιλέκτως. Θουκυδίδης δ'.*

Μνημόσυνος sedem nanctum est in Aristoph. Vesp. 538. 560. Thucyd. V 11, 1: *ἀφανίσαντες εἴ τι μνημόσυνόν που ἔμελλεν αὐτοῦ τῆς οἰκίσεως περιέσεσθαι.* Hippocr. praedict. lib. II. vol. XXI. p. 215. med. Aristot. 838ª 32. Hos exemplorum copia longe anteit Herodotus, qui praeter ea, quae Schweighaeuser suppeditat, haec praebet: I 185, 4: *μνημόσυνα ἐλίπετο.* II 101, 4. 121, 2 IV 81, 21. 89, 1 VII 24, 2. — Cf. Plut. Mor. p. 831. D. Luc. Hipp. 2. Cass. D. LIV 23, 6.
Apud ceteros Atticos eius vice aliqua ex parte *μνημεῖον* fungitur; quem ad modum ipse Thucyd. II 41, 4 dixit: *μνημεῖα κακῶν τε κἀγαθῶν ἀίδια ξυγκατοικίσαντες.*

Adiectivum *πίσυνος* ab Attica dialecto alienum esse iam pridem Phot. et Suid. s. v. *περιωπή* docuerunt et inter verba *γλωττώδη*, quae in Thucydide sunt, numeraverunt. Similiter de eo Rutherford. ad Phryn. p. 21. iudicavit in eo tamen lapsus, quod id uno loco, Thuc. V. 14, 3: *τοῖς ἔξω πίσυνοι*, ‚ex Jade residuum esse' opinatus est; nam reperitur etiam Thuc. II. 89, 6. VI. 2, 6.

Locos, quos Schweighaeuser ex Herod. attulit, hisce compleas II 141, 15 VII 153, 15 VIII 143, 10.

Etiam apud poetas ,πίσυνος' viguisse, cognoscitur ex Hom. *Ε* 205 (*Θ* 226 =) *Λ* 9 I 238 *Ω* 295. 313 *σ* 140 Aeschyl. Sept. 212 Pers. 112 Suppl. 351. Eurip. Or. 905. Suppl. 121. Aristoph. Vesp. 356. Nub. 949. Pa. 84. Axionic., vol. III. p. 531. (Mein.), Pind. Pyth. IV. 232. Theogn. 69. 75. 284. Praeterea vidi in Ps.-Hippocr. epist. vol. XXIII. p. 795. in., p. 808. med., apud Dionys. Hal. A. R. VIIII 86 p. 1721. R Appian. b. civ. II 30. 45. 87.

Eodem significatu ab Atticis scriptoribus *πιστεύων* ponitur, quod etiam Thucydides illi vocabulo praetulit I 49, 3 (?) II 39, 1. 81, 4. 89, 2. IV 18, 4. 112, 2. 122, 5 (bis): *τῇ κατὰ γῆν Λακεδαιμονίων ἰσχύι ἀνωφελεῖ πιστεύοντες.*

Πολέμιος apud Herodotum et Thucydidem non raro, nonnunquam apud Hippocratem, apud reliquos aut vix aut omnino non valet ,bellicus': v. Herod. I 126, 27: *ὑμέας ἥγημαι ἄνδρας Μήδων εἶναι οὐ φαυλοτέρους οὔτε τἆλλα οὔτε τὰ πολέμια.* V 78, 4: *Ἀθηναῖοι τυραννευόμενοι οὐδαμῶν τῶν σφεας περιοικεόντων ἦσαν τὰ πολέμια ἀμείνους.* 111, 4: *ὑπασπιστὴς τὰ πολέμια κάρτα δόκιμος.* VII 9 *γ*, 8: *ἄριστοι τὰ πολέμια.* 111, 5: *τὰ πολέμια ἄκροι.* 234, 6: *εἰπὲ ὁκόσοι τοιοῦτοι τὰ πολέμια (εἰσί).* 238, 9: *ἄνδρες ἀγαθοὶ τὰ πολέμια.* IX 58, 7: *τὰ πολέμια πρῶτοι.* 122, 18. His locis atque eis, quos Hemsterhusius ad Luc. dial. mort. 12. e Dionys. Halic. collegit, satis firmatur codicis R memoria III 4, 4: *Φάνης τὰ πολέμια ἄλκιμος,* ubi reliqui libri *πολεμικά* tradunt. — Hippocr. de aere locis aquis vol. XXI. p. 554. in.: *ὁ λόγος ἐστὶν, ὅκως τὰ πολέμια ἀσκήσωσιν,* p. 568. ex.: *αὐτοὺς τὰ πολέμια ἀμείνους εὑρήσεις.* — Thuc. I 18, 3: *εὖ παρασκευάσαντο τὰ πολέμια.* IV 80, 3: *ἀξιοῦσιν ἐν τοῖς πολεμίοις γεγενῆσθαι ἄριστοι*[1]). 126, 2: *ἀγαθοῖς γὰρ εἶναι ὑμῖν προσήκει τὰ πολέμια.* VI 80, 1: *ἄλλως τε καὶ*

---

1) Herwerden. πολεμίοις in πολεμικοῖς perperam immutasse videtur obsecutus, ni fallor, Abreschio (,dilucidat.' p. 196.), qui commentus est Thucydidem genetivo et dativo πολεμίων πολεμίοις spretis πολεμικῶν πολεμικοῖς praetulisse, ne cui legenti scrupulus relinqueretur, utrum illae formae πολέμιοι substantivo an a πολέμια adiectivo ducendae essent. — Quid? haec tam levissima Thucydidns curavit, aliis autem locis, ubi de rebus gravissimis dicit, tam obscurus est, „vix ut intellegatur"? Manibus vero pedibusque adversus eos pugno, qui ,ἐν τοῖς πολεμίοις' ,contra hostes' interpretantur.

ἀπὸ Πελοποννήσου προσεσομένης ὠφελίας, οἳ τῶνδε κρείσσους εἰσὶ τὸ παράπαν τὰ πολέμια.

E ceteris Atticis unus Xenopho unum id genus locum porrigere videtur, in Anab. I 6, 1: *Ὀρόντης τὰ πολέμια λεγόμενος ἐν τοῖς ἀρίστοις Περσῶν*, ubi tamen *πολέμια* Stephano Mureto aliis tantopere displicuit, ut *πολεμικὰ* scriberent. Equidem hanc emendationem probo. Nam illud exploratum mihi est et Schneiderum summo errore captum esse, cum „innumeris in locis Xenophontis dici *τὰ πολέμια* quae alii *τὰ πολεμικά* dicerent" (ad Xenoph. de re equ. VII. 17.) asseveraret, neque locis, quos Sauppe ibidem attulit, Xenophontis locum defendi. Neque vero dubium est, quin apud recentiores *πολέμιος* illa vi praeditum sit, ut apud Polyb. II 36, 2: *ποιήσας ἐπίδοσιν τοῖς Καρχηδονίων πράγμασιν οὐχ οὕτω διὰ τῶν πολεμίων ἔργων ὡς διὰ τῆς πρὸς τοὺς δυνάστας ὁμιλίας* (ubi v. Schweighaeuserum). V 73, 8. Appian. Hispan. 48: *ἐπιτυχὴς δὲ τὰ πολέμια ὢν τὴν πόλιν αὐτίκα παρεστήσατο* (ubi v. Schweighaeus.). E Dionys. Hal. Luciano aliis exempla proponunt Stephanus ad Thuc. I 18 Hemsterhus. ad Lucian. dial. mort. 12. (= edit. Bip. II. p. 466. s.) Schmid. ‚Atticism.' p. 371.

Vocabulum *προσηνής* Thucydides praebet VI 77, 2: *τοῖς ὡς ἑκάστοις τι προσηνὲς λέγοντες.* In Iade autem id floruisse cum Herodotus II 94, 11 tum Hippocrates testatur; cuius exempla, quia in lexicis desunt, subiciam: de rat. vict. in morbis acut. vol. XXII. p. 37. m., de liquid. usu vol. XXII. p. 162. ex., de mulier. morbis lib. II. vol. XXII. p. 816. ex., p. 836. m., de fract. vol. XXIII. p. 72. in., p. 115. in.; de articul. vol. XXIII. p. 142. in., p. 184. in., p. 253. med., p. 272. m., mochl. vol. XXIII. p. 301. in., p. 306. m.; epist. vol. XXIII. p. 797. ex.

Occurrit etiam in Aristotel. p. 809ᵃ 31 et recentioribus.

Φερέγγυος i. e. fidus, idoneus, ab Herodoto V 30, 16: *οὐ φερέγγυός εἰμι δύναμιν παρασχεῖν τοσαύτην* VII 49, 8: *λιμὴν φη-*

Sed ne Stahlio quidem assentior, qui inter πολεμικά et πολέμια ita distingui voluit, ut τὰ πολεμικά ad belli usum, τὰ πολέμια ad pugnandi virtutem referretur. Quae distinctio adeo nulla ratione commendari videtur, ut ei non solum Thucydidis locus I 18, 3, quo vir doctissimus πολεμικά reponi iussit, sed etiam aliquot recentiorum scriptorum obstent. Quae cum ita sint, apud Thucydidem τὰ πολέμια pariter ac τὰ πολεμικά (II 39, 1: διαφέρομεν κἀν ταῖς τῶν πολεμικῶν μελέταις. 89, 9 IV 55, 2) generaliter de eis quae ad bellum pertinent dicta esse opinor.

φέγγυος ἔσται διασῶσαι τὰς νέας, Thuc. VII 68, 3: *πολύ τε πρὸς τὰ δεινὰ φερεγγυώτατος ἐφάνη*, porro ab Aeschylo Sophocle [1]) et a Cass. D. XLI 9, 1 Themist. or. II. p. 30. D. usurpatum est.

Num vero Gregor. Corinth. p. 545. Schaef. hoc verbum inter Ionica iure rettulerit, Stephanus (in thes.) non sine causa in dubium vocavit.

§ 3. adverbia.

Adverbium *ἀνακῶς* Thucydides VIII 102, 2: *καὶ τὰς μὲν ἐν Ἀβύδῳ ἑκκαίδεκα ναῦς ἔλαθον* (*οἱ Ἀθηναῖοι*)** [2]), *προειρημένης φυλακῆς τῷ φιλίῳ ἐπίπλῳ, ὅπως αὐτῶν ἀνακῶς ἕξουσιν, ἢν ἐπιπλέωσιν* ab Ionibus [3]) sumpsisse videtur. In Herodoto enim invenitur I 24, 28: *ἀνακῶς ἔχειν τῶν πορθμέων*. VIII 109, 21: *σπόρου ἀνακῶς ἐχέτω*, in Hippocr. de carnib. vol. XXI. p. 443.
De qua sententia tantum abest ut Moeris (p. 43. P): *ἀνακῶς· Ἀττικῶς, ὡς Πλάτων ὁ κωμικός· καὶ τας θύρας ἀνακῶς ἔχων* (*ἔχειν*), *ἀντὶ τοῦ ἀσφαλῶς ἢ φυλακτικῶς, κοινῶς* nos deducat, ut eum valde errasse putemus. Patet enim eum uno hoc loco nisum *ἀνακῶς* Atticae dialecto addixisse et hac ipsa de causa *τας θύρας* pro accus. plur. accepisse. At cum verba *ἀνακῶς ἔχειν*, quae *ἐπιμελῶς ἔχειν* [4]) valeant, utique genetivum requirant [5]) (*τᾶς θύρας*), ea a Dorico homine Dorica dialecto prolata esse videntur. Etenim in hac quoque *ἀνακῶς* viguisse ex Erotiani glossa intelligitur: *τῶν παρ' Ἱπποκράτει λέξεων συναγωγή* p. 66. Franz.: *ἀνακῶς· ἐπιμελῶς καὶ περιφυλαγμένως. ἔστι δὲ ἡ λέξις Δωρική.* Hanc interpretationem nollem Meinekius (frag. com. Graec. edit. min. I. p. 396.) abiecisset. Cf. Cobet. Mnemos. V. (1856.) p. 204.
Marcellini autem opinio (vit. Thuc. § 52.) *ἀνακῶς* esse vocabulum poeticum a vero abhorret.

In *ἑκάς* adverbii usu Herodotus pariter atque Homerus, tragici, (Pind., Theocr.) creber est idque modo absolute modo cum

1) Blomfieldii glossar. in Aesch. Sept. 392. (= 396. D), Wesseling. ad Herod. VII 49.

2) Loci sensum egregie explanavit Stahl.

3) V. (Gregor. Corinth.), Both. p. 19. Brueckner. p. 10.

4) V. schol. ad Thuc. l. l., Ἡροδότου λέξεις edid. Stein. (edit. Herod. tom. II. p. 449. s.). 1871.

5) Cf. Herod., Thuc. l. l. c. c. Matth. Gr. Gr. II. § 348. p. 821. s. Kuehner. Gr. Gr. II. § 419. 1. b. p. 325.

genetivo nominis modo cum praepositione locali posuit; Thucydides ubique absolute protulit: I 69, 5: *Ἀθηναίους οὐχ ἑκὰς ὄντας.* 80, 3 VIII 94, 3. 104, 4. — Ad locos, quos Schweighaeuser ex Herodoto accumulavit, adicias I 134, 9: *τοὺς ἑωυτῶν ἑκαστέρω.* III 41, 9: *ἀπὸ τῆς νήσου ἑκάς.* 111, 14: *ἀπαλλάσσεσθαι ἑκὰς αὐτέων.* IX 93, 10.

Reliqui scriptores eius vicem *πόρρω* vocabulo usi sunt [1]).

Ἐνδοιαστῶς reperitur apud Herod. VII. 174, 4: *Θεσσαλοὶ ἐμήδισαν προθύμως οὐδ' ἔτι ἐνδοιαστῶς*, Thuc. VI 10, 5: *ἄλλοι τινὲς κατὰ τὰς ἠπείρους ἐνδοιαστῶς ἀκροῶνται.* VII 87, 4. — Hippocr. praedict. lib. II. vol. XXI. p. 189., de morb. vulgar. lib. I. vol. XXIII. p. 384. m. (et etiam saepius adiectivum *ἐνδοιαστός*). *Ἐνδοιάζειν* est apud Thucyd. I 36, 1. 122, 3. VI 91, 4. Posteriores non solum ea vocabula receperunt, sed etiam nova ex eadem radice conformaverunt.

Verbum *ἐξαπίνης* cum in hunc numerum assumi velim, fieri non potest, quin sententiam Lobeckii (ad Phryn. p. 18.) impugnem censentis ‚formas *ἄφνω, ἐξαπίνης, ἐξαίφνης* et *ἐξαπιναίως* apud Atticos scriptores promiscue, ut cuique lubuit, usurpatas esse'. De qua sententia actum erit, si vim auctoritatemque exemplorum Plat. Rpl. p. 621. B Demosth. c. Neaer. § 99., quibus innititur, diluerimus. — Quod enim Aristotelis quoque testimonium, p. 636ª 31, protulit, hunc puri sermonis Attici testem esse praecise nego [2]). — Atque Plato quidem, qui eo loco fabulam Eris cuiusdam, Armeni filii, narrat, non de suo hoc vocabulum videtur dedisse, praesertim cum reliquis (octo) locis *ἐξαίφνης* scriberet. Auctorem autem orationis c. Neaer. Thucydidem ante oculos habuisse vel compilasse luce clarius est [3]): cf.

Thuc. II 3, 1:	Ps.-Demosth. c. Neaer. 99:
οἱ δὲ Πλαταιῆς ὡς ᾔσθοντο ἔνδον τε ὄντας τοὺς Θεβαίους καὶ ἐξαπιναίως κατειλημμένην τὴν πόλιν	*αἰσθόμενοι δ' οἱ Πλαταιεῖς ἔνδον ὄντας τοὺς Θηβαίους τῆς νυκτὸς καὶ ἐξαπιναίως αὐτῶν τὴν πόλιν ἐν εἰρήνῃ κατειλημμένην, παρεβοήθουν.*

1) V. Rutherford. ad Phryn. p. 28. Cf. Krueger. Gr. Gr. II. 23. 6. 1.

2) Aristotelem verba Jonica non repudiasse supra vidimus.

3) V. Blass. ‚Beredsamk.' vol. III. p. 478. p. 481. adn. 1. Cf. Dindorf. annot. in Demosth. VII. p. 1361.

Itaque cum veteres scriptores Attici praeter Thucydidem et Xenophontem omnes adverbia *ἐξαπίνης*, *ἐξαπιναίως* evitaverint, probaverint *ἐξαίφνης* (Demosth. XVIII. 153. 308. XIX. 332. Aeschin. II. 23. 34. 40. III. 59. Isocr. VIII. 41. Isae. III. 19.), Hippocrates autem et Herodotus [1]) *ἐξαπίνης* frequentent, *ἐξαπίνης* puto esse formam Ionicam.

Iam hanc opinionem, cuius patronum Sauppium (lexil. Xenoph.) habemus, et Herodoti et Hippocratis exemplis, quotquot repperimus, confirmaturi sumus. (Pauciores enim ex Hippocr. in lexicis afferuntur loci quam ut cognoscatur, quantopere is hoc vocabulum amaverit). Herod. I 74, 8: *τὴν ἡμέρην ἐξαπίνης νύκτα γενέσθαι.* 87, 8: *συνδραμεῖν ἐξαπίνης.*

Hippocr. de iudicationib. vol. XXI. p. 147. m., p. 148. m., praedict. lib. II. vol. XXI. p. 202. ex., p. 233. in.; Coac. praenot. vol. XXI. p. 255. in., p. 276. med., p. 289 ex., p. 290 m., p. 291. ex., p. 309. in., p. 324. ex., p. 335. m., p. 345. ex.; de nat. homin. vol. XXI. p. 366. m.; de genitur. vol. XXI. p. 376. in.; de ossium nat. vol. XXI. p. 510. in.; de morbo sacr. vol. XXI. p. 604. in. et med., p. 611. m.; de salubri vict. rat. vol. XXI. p. 617. m.; de vict. rat. vol. XXI. p. 700. ex., p. 712. m., p. 727. m.; de rat. vict. in morbis ac. vol. XXII. p. 41. in., p. 43. in., p. 44. in., p. 45. in. (bis), p. 52. in., p. 81. ex.; de morb. vol. XXII. p. 188. m., p. 217. m., p. 232. m., p. 233. m., p. 259. m., p. 276. ex., p. 331. ex.; de affection. vol. XXII. p. 393. m.; de intern. affection. vol. XXII. p. 465. m., p. 478. m., p. 481. ex., p. 499. in., p. 503. in., p. 506. ex., p. 516. ex., p. 518. ex.; de nat. muliebri vol. XXII. p. 530. in., p. 531. m., p. 542. m., p. 545, m.; de mulier. morb. vol. XXII. p. 622. m., p. 623. in., p. 649. m., p. 652. in. et m., p. 660. in., p. 661. in., p. 684. m., p. 761. ex., p. 766. m., p. 788. m., p. 825. ex., p. 838. in., p. 840. m., p. 864. m.; *περὶ ἀφόρων* vol. XXIII. p. 5. ex.; de videndi acie vol. XXIII. p. 42. m.; de fract. vol. XXIII. p. 128. ex., p. 129. m.; de articul. vol. XXIII. p. 172 m., p. 193. m., p. 251. m., p. 259. in.; de morb. vulgar. vol. XXIII. p. 460. ex., p. 595. ex., p. 701. m.; aphorism. vol. XXIII. p. 717. ex., p. 719. in.; epist. vol. XXIII. p. 817. m.

Secuntur exempla Thucydidea.

---

1) Herodotus, cum libri IX 45, 21 fluctuent, ἐξαπίνης solum agnoscere videtur.

ἐξαπίνης legitur I 50, 5. III 89, 5. IV 36, 2. 111, 2. 115, 3. V 10, 7.

ἐξαπιναίως I 117, 1. II 3, 1. 48, 2. 93, 3. III 3, 2. 34, 3. 70, 6. IV 25, 11. VI 100, 1.

Xenopho agmen claudat, qui praebet

ἐξαπίνης Anab. III 3, 7. 5, 2. IV 7, 25 V 2, 24 VI 4, 26 Cyr. inst. VI 2, 27 Mem. IV 3, 9 Hipparch. VIII 19.

ἐξαπιναίως Hell. I 6, 28 Hipp. IX 5.

ἐξαπιναῖος Hell. VI 4, 33 Hier. X 6 Athen. Rpl. III 5 Hipp. IX 4.

Neque tamen *ἐξαίφνης, αἰφνιδίως* ab Hippocrate Thucydide Xenophonte spreta sunt.

Sed ne nimii simus in locis enumerandis, id tantum consideremus, quo modo in Thucydidis libros *ἐξαπίνης*, *ἐξαπιναίως* et *ἐξαίφνης, αἰφνιδίως* distributa sint. Ac prioribus quidem libris *ἐξαπίνης*, *ἐξαπιναίως* praevalere, posterioribus autem inde a quinto magis magisque decrescere et paulo post prorsus deficere, invalescere *ἐξαίφνης*, *αἰφνιδίως* intelleges, si hosce locos cum illis comparaveris: *ἐξαίφνης* enim est II 49, 2 III 4, 2 V 65, 3 VII 32, 2. 40, 1. VIII 102, 1. *αἰφνιδίως* II 53, 1 IV 96, 5 V 8, 4. 9, 7. VII 3, 1. 23, 1.

Thucydides igitur temporibus procedentibus ad Atticam dicendi consuetudinem, quae postea inveteravit, propius inclinavit.

Praeterea Homer. Pind. Theocr. Aristoph. (Plut. 336. 339. 815. D.) et recentiorum scriptorum permulti (Plut. vit. Marc. Cor. 33. vit. Lysand. 28. aliisque locis, Dion. Hal. A. R. VI 14. p. 1071. R., Cass. D. XLV 13, 4. XLVII 43, 2. . . .) *ἐξαπίνης* et *ἐξαπιναίως* exhibent.

Περισταδόν obvium est in Herod. VII 225, 17: *σφέας κατέχωσαν οἱ βάρβαροι βάλλοντες περιελθόντες πάντοθεν περισταδόν*, Thucyd. VII 81, 4: *ἐβάλλοντο περισταδόν*, et in poetis cum aliis (Eurip. Andr. 1136.) tum epicis [1]). Ex Arriani laudatur a Grundmanno ‚Quid in elocutione Arriani Herodoto debeatur' p. 76., Boehnero act. semin. Erlangens. IV. p. 11.

E **coniunctionibus** cum una Herodoti et Thucydidis propria

---

1) V. Spitzner. ad Hom. N 551.

sit [1]), in hac appendicula eam commemoremus. Est enim ἐς ὅ coniunctio tempus notans V 66, 2: *μάλιστα δὲ Λακεδαιμόνιοι ἐς ὅ ἐμέμνηντο ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ ἐξεπλάγησαν* [2]). Herodoti locos Struve ‚Quaestionum de dialecto Herodoti specim. I.' opusc. II. p. 312. s. s. egregia cum industria collegit.

§ 4. verba.

Initium capiamus ab *ἀπανιστάναι* i. e. submovere, abducere, et *ἀπανίστασθαι, ἀπαναστῆναι* i. e. emigrare, abscedere. *Ἀπανιστάναι* obfertur Herod. III 156, 11 IV 133, 10, ubi tamen meliores libri *ἀπονοστήσειν* exhibent; Thuc. II 70, 1. *Ἀνανίστασθαι* et *ἀπαναστῆναι* occurrunt Herod. VI 45, 7 IX 86, 6. 87, 4, Thuc. I 2, 1. 61, 4.. 139, 1. 140, 3. VII 48, 2. 49, 1 et apud alios qui recentiore aetate vixerunt scriptores: cf. Grundmann. p. 73.

Subsequitur *ἀπογίγνεσθαι* valens ‚mori'.

Hoc verbum a Thucydide sive a Thucydide et Antiphonte illo sensu usurpatum esse lexicographi veteres Antiatticista in Bekk. anecd. I. p. 82., alius quidam ibid. p. 419. v. 19., Suid. s. v. v. *ἀπεγένετο* et *ἀπογενέσθαι*, Zonaras tradunt. Atque Thucydides eorum observationem locis II 34, 2: *τὰ μὲν ὀστᾶ προτίθενται τῶν ἀπογενομένων πρότριτα.* 51, 5: *καὶ τὰς ὀλοφύρσεις τῶν ἀπογιγνομένων τελευτῶντες καὶ οἱ οἰκεῖοι ἐξέκαμνον.* V 74, 3: *Λακεδαιμονίων δὲ οἱ μὲν ξύμμαχοι οὐκ ἐταλαιπώρησαν ὥστε καὶ ἀξιόλογόν τι ἀπογενέσθαι* [3]) confirmat, Antipho, quem quidem noverim, non item [4]). Ceteris quoque Atticis haec vocabuli vis inusitata est. Neque enim Wyttenbach. in adnotatione ad Plut. Moral. p. 109. F non erravit ratus apud Plat. p. 651. edit. Lugd. = Legg. p. 850 *A* edit. Steph. *ἀπογίγνεσθαι* esse ‚perire'; nec puto quemquam ad legem illam in Ps.-Dem. 43, 57 provocaturum esse, quoniam legum sermone antiquitas aut diu

---

1) V. Kuehner. Gr. Gr. II. § 566. 1. c. p. 949. Krueger. Gr. Gr. II. § 54. 16. 2.; ad Thuc. V 66. Bast. et Koen. ad Gregor. Corinth. p. 472. Schaef.

2) De loci sententia optime, ut solet, disseruit Stahl.

3) Minus recte a lexicographis huc refertur Thuc. II 98, 3: πορευομένῳ αὐτῷ ἀπεγίγνετο μὲν οὐδὲν τοῦ στρατοῦ (i. e. nulla facta est iactura) εἰ μή τι νόσῳ, προσεγένετο δέ.

4) Uno illo loco quo occurrit 2 γ 5 ‚abesse' valet.

servari aut affectari solet. Herodotus[1]) vero et Hippocrates non carent exemplis: vide Herod. II 85, 2: *θρῆνοι δὲ καὶ ταφαί σφεων εἰσὶ αἵδε· τοῖσι ἂν ἀπογένηται ἐκ τῶν οἰκίων ἄνθρωπος* . . . 136, 17 III 111, 12 V 4, 5, 8 VI 58, 18: *φάμενοι τὸν ὕστατον αἰεὶ ἀπογενόμενον τῶν βασιλέων τοῦτον δὴ γενέσθαι ἄριστον*. Hippocr. de septimestri partu vol. XXI. p. 454. med.: *τῶν γιγνομένων καὶ ἀπογιγνομένων*, de mulier. morb. lib. I. vol. XXII. p. 647. med.: *ἀπογίνεται καὶ οὕτως τὸ παιδίον* (praecedit: *ἢν γὰρ τῷ παιδίῳ παρὰ τὸ ἔθος τι γένηται, καὶ ἢν σμικρὸν ἔτι ᾖ, θνήσκει*), de morbb. vulgar. lib. IV. vol. XXIII. p. 532. med. p. 542. ex.
Exemplis quae in Steph. thesauro e recentioribus scriptoribus laudantur adde Plut. Mor. p. 109. F 113. D Aristid. vol. II. p. 313. med. (Dind.). Pausan. VIII. 32.
Quae quamquam ita se habent, tamen hanc inter Thucydidem Herodotum Hippocratem similitudinem non nimis premo. Simili enim euphemia Xenoph. Cyr. III 1, 13 V 4, 11 Plat. Legg. p. 945. C alii *οἴχεσθαι* pro *ἀποθνήσκειν* dixerunt.

Αὐχεῖν quod in poetarum operibus crebro, apud posteriores orationis solutae scriptores hic illic deprehenditur, apud Herodot. est II 160, 2: *ἀπίκοντο Ἠλείων ἄγγελοι αὐχέοντες δικαιότατα καὶ κάλλιστα τιθέναι τὸν ἐν Ὀλυμπίῃ ἀγῶνα πάντων ἀνθρώπων*. VII 103, 13, apud Thuc. II 39, 3: *πάντας αὐχοῦσιν ἀπεῶσθαι*. IV 19, 3. Aliunde ex Atthide eruere ne Veitch. quidem „Greek Verbs" (s. v.) potuit.
Item rarissime in Atthide reperiuntur quae ex *αὐχεῖν* ducta sunt nomina *αὔχημα*: Thuc. II 62, 4 VII 66, 3. 75, 6; *αὔχησις* Thuc. VI 16, 5; *ὑπέραυχος* Xen. Ages. XI 11. Praeterea *αὔχημα* legitur (Plat.) Axioch. p. 365. A, quem tamen dialogum ab homine non Atheniensi et qui multo post vixit conscriptum esse nemo hodie est qui neget. V. Sittl. ‚histor. litter. Graec.' II. 298.

Βόσκειν verbum Herodotus et Thucydides sine ulla hominum, de quibus dicunt, contemptione usurpaverunt, ille I 44, 9: *οἰκίοισι ὑποδεξάμενος τὸν ξεῖνον φονέα τοῦ παιδὸς ἐλάνθανε βόσκων*. VI 39, 15: *Μιλτιάδης ἴσχει τὴν Χερσόνησον πεντακοσίους βόσκων ἐπικούρους*, hic VIII 48, 5: *τά τε Συρακοσίων ἔφη ὅμως ἔτι ἥσσω τῶν σφετέρων εἶναι· χρήμασι γὰρ αὐτοὺς ξενοτροφοῦντας καὶ ἐν*

---

1) V. Stein. ad Herod. II 85. Valcken. et Wesseling. ad Herod. II 136. Krueger. ad Thuc. II 34.

περιπολίοις ἅμα ἀναλίσκοντας καὶ ναυτικὸν πολὺ ἔτι ἐνιαυτὸν ἤδη βόσκοντας τὰ μὲν ἀπορεῖν, τὰ δ' ἔτι ἀμηχανήσειν.

Herodotus et Thucydides non solum *ἐμβάλλειν, παραβάλλειν, προσβάλλειν, περιβάλλειν* idque sensu circumvehendi, circumeundi (Herod. VI 44, 10 Thuc. VIII 95, 1 Xenoph. Cyn. V 29 VI 18, ubi v. Sauppium et Dindorf.), ut reliqui Attici, intransitive posuerunt, sed etiam *διαβάλλειν*, quo in usu nemo cum iis concinit nisi poetae, Aeschyl. fr. 66. v. 4. (D), Eurip. Suppl. 930. Rhes. 117. Demetr. com. fr. I. v. 2. (fragm. com. Graec. edit. mai. Mein.). Hoc verbum ubi intransitivam induit vim idem esse ac *διαβαίνειν* sive *περαιοῦσθαι* = traicere, ex his locis cognosces: Herod. V 33, 6: *ἔσχε τὰς νέας ἐς Καύκασα, ὡς ἐνθεῦτεν βορέῃ ἀνέμῳ ἐς τὴν Νάξον διαβάλοι*, ubi tamen facile cogitatione supples *τὰς νέας*, ut scriptum est V 34, 7.—VI 44, 8: *ἐκ Θάσου διαβαλόντες πέρην ὑπὸ τὴν ἤπειρον ἐκομίζοντο μέχρι Ἀκάνθου.* (IX 114, 10). Thuc. II 83, 3: *(αὐτῶν) ἐκ Πατρῶν τῆς Ἀχαίας πρὸς τὴν ἀντιπέρας ἤπειρον διαβαλλόντων.* VI 30, 1: *τῶν ξυμμάχων τοῖς πλείστοις εἴρητο ἐς Κόρκυραν ξυλλέγεσθαι, ὡς ἐκεῖθεν ἀθρόοις ἐπὶ ἄκραν Ἰαπυγίαν τὸν Ἰόνιον διαβαλοῦσιν* [1]). 44, 1: *ἃ* (sc. *πλοῖα*) *τότε πάντα ἐκ τῆς Κορκύρας ξυνδιέβαλλε τὸν Ἰόνιον κόλπον.* — Hic exemplorum numerus admodum exiguus est pro eorum Thucydidis locorum frequentia, quibus *διαβαίνειν, περαιοῦσθα* legitur; nec non in sexto libro *περαιοῦσθαι* aliquanto frequentius esse ex his patet locis: cap. 34, 4 (bis), 5. 43. 104, 1. E septimo adscribere iuvat 33, 3: *ἐπεραιώθησαν ξυμπάσῃ τῇ στρατιᾷ τὸν Ἰόνιον ἐπ' ἄκραν Ἰαπυγίαν.* Herodotum Thucydidemque secuti sunt Arrianus, Eunapius, quorum exempla Krueger ad Arrian. Anab. I 4, 1 Boehner p. 11. Boissonade ad Eunap. vit. sophist. p. 270. indicant, et imprimis Cass. Dio: XLI 44, 1 XLVII 30, 2 XLVIII 18, 5. 27, 4. 47, 3 XLIX 17, 2 L 11, 6. *)

---

1) V. Poppo. edit. mai.; schol.: διαπλεύσουσι, διαπεραιωσομένοισι. — Cf. Valckenar. et Baehr. ad Herod. IX 114.

*) In duplicem errorem Krueger incidit, cum in adnotatione ad Thuc. I 126, 7 (11) contenderet verbum διαχρῆσθαι valens „interficere" Herodoteum et ab hoc scriptore saepe usurpatum esse. Primum enim haudquaquam ab eo frequentari, immo semel (I 24, 12) ita positum esse Godofredus Herold in annal. Fleckeis. v. LXXV. (1857) p. 440 seq. demonstravit, porro non esse vocem Herodoteam praeter Thuc. I 126, 11 III 36, 3 VI 61 3 Antipho I. 63: δεήσεται ὑπὲρ τῆς μητρὸς τῆς ἐκεῖνον διαχρησαμένης. Aeschin. III 244: ἐάν τις αὐτὸν

Δικαιοῦν, ut Krueger in grammat. gr. II. § 55. 3. 15 docet, dialecti Ionicae et Atthidis vetustioris proprium esse, opera, quam scriptoribus pro virili parte navavi, non possum non confirmare. Ac ne Plato quidem hoc verbum sibi sumpsit nisi semel[1]) in Legg. p. 934. A: *δίκην ἕκαστος προσεκτισάτω οὐχ ἕνεκα τοῦ κακουργῆσαι διδοὺς τὴν δίκην, τοῦ δ' εἰς τὸν αὖθις ἕνεκα χρόνον ἢ τὸ παράπαν μισῆσαι τὴν ἀδικίαν αὐτόν τε καὶ τοὺς ἰδόντας αὐτὸν δικαιούμενον, ἢ* . . . . ., ubi eo minus offendat quisquam, cum in hoc opere etiam alia multa inesse quae ab Attica dicendi consuetudine abhorreant supra dixerimus. V. Krueger. ad Herod. I 100.

Usum et vim[2]) vocabuli *δικαιοῦν* aut prorsus convenire cum *ἀξιοῦν*[3]), quod verbum apud Atticos invaluit nec non apud Thucydidem multo praevalet, aut proxime accedere, ex ipsis exemplis elucescet: Thuc. I 140, 1: *τοὺς ἀναπειθομένους ὑμῶν δικαιῶ τοῖς κοινῇ δόξασιν, ἢν ἄρα τι καὶ σφαλλώμεθα, βοηθεῖν.* II 41, 5: *περὶ τοιαύτης πόλεως οἵδε γενναίως δικαιοῦντες μὴ ἀφαιρεθῆναι αὐτὴν μαχόμενοι ἐτελεύτησαν.* 61, 4: *ἐν ἴσῳ οἱ ἄνθρωποι δικαιοῦσι τῆς τε ὑπαρχούσης δόξης αἰτιᾶσθαι ὅστις μαλακίᾳ ἐλλείπει καὶ τῆς μὴ προσηκούσης μισεῖν τὸν θρασύτητι ὀρεγόμενον.* 67, 4: *ἀπέκτειναν πάντας καὶ ἐς φάραγγας ἐσέβαλον δικαιοῦντες τοῖς αὐτοῖς ἀμύνεσθαι οἷσπερ καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι ὑπῆρξαν*[4]). 71, 4: *λέγομεν ὑμῖν ἐᾶν οἰκεῖν (τοὺς Πλαταιέας) αὐτονόμους καθάπερ Παυσανίας ἐδικαίωσεν.* IV 64, 2: *τοὺς ἄλλους δικαιῶ ταὐτό μοι ποιῆσαι.* 122, 6: *εἶχεν ἡ ἀλήθεια περὶ τῆς ἀποστάσεως μᾶλλον ἢ οἱ Ἀθηναῖοι ἐδικαίουν.* V. 26, 2. 105, 1. VI 89, 6 VII 68, 1.

Herodoteorum exemplorum copiae, quam Schweighaeuser aliique in lexicis congesserunt, adde III 8, 13: *οἱ φίλοι καὶ αὐτοὶ τὰς πίστις δικαιεῦσι σέβεσθαι.* 19, 13. 52, 6. IV 154, 7 IX 19, 4. 26, 2.

διαχρήσηται. Xenoph. Mem. IV 2, 17: δείσας μὴ διαχρήσηται ἑαυτόν ostendunt; omitto recentiorum exempla. Itaque Thucydides ll. ll. Attice locutus est.

1) Neque enim advocare licet Legg. 714. E: καὶ ἔφαμέν που κατὰ φύσιν τὸν Πίνδαρον ἄγειν δικαιοῦντα τὸ βιαιότατον, ὡς φάναι, quippe quibus verbis verba Pindari in Gorg. p. 484. B laudata praestringantur.

2) De qua v. Suid. s. v. δικαιοῦν.

3) V. Boehmium ad Thuc. III 40.

4) Hunc locum si comparaveris cum I 42, 1: ἀξιούτω τοῖς ὁμοίοις ἡμᾶς ἀμύνεσθαι, discrimen quod Classen (ad Thuc. I 140) inter ἀξιοῦν et δικαιοῦν statuit non servari intelleges. V. eiusdem V. D. adnotationem ad Thuc. I 42.

Ex Hippocrate haec quae adhuc iacebant exempla praesto sunt: de fract. vol. XXIII. p. 115. ex.: *ὅσοι ἐπὶ μίαν ἢ δύο ἡμέρας εἴρια ἐπιδέειν δικαιέουσι*, ib. p. 116. ex.

Omnibus quos attuli locis *δικαιοῦν* valet „aequum censere". Ex hac notione facile deducitur vis puniendi [1]), quam hoc vocabulum induit Thuc. III 40, 4: *πειθόμενοι μὲν ἐμοὶ τά τε δίκαια ἐς Μυτιληναίους καὶ τὰ ξύμφορα ἅμα ποιήσετε, ἄλλως δὲ γνόντες τοῖς μὲν οὐ χαριεῖσθε, ὑμᾶς δὲ αὐτοὺς μᾶλλον δικαιώσεσθε* [2]). Herod. I 100, 8: *εἴ τινα πυνθάνοιτο ὑβρίζοντα, τοῦτον ὅκως μεταπέμψαιτο κατ' ἀξίην ἑκάστου ἀδικήματος ἐδικαίευ.* III 29, 12. Plat. l. l. — Apud Aristot. 1136ª 18. 20. 22. *δικαιοῦσθαι* sonat ‚iusta pati'. Denique cf. Suid. s. v. v. *δικαιοῦν, ἐδικαίου, ἐδικαιώθησαν*, Bernhardyi adnotationes, interpretes ad Thuc. VIII 66.

Verbum *ἐμπαλάσσεσθαι* reperitur apud Herod. VII 85, 12: *οἱ δὲ ἐν ἕρκεσι ἐμπαλασσόμενοι διαφθείρονται* et Thuc. VII 84, 3: *οἱ πολέμιοι ἐπικείμενοι χαλεπὴν ἤδη τὴν διάβασιν ἐποίουν. ἀθρόοι γὰρ ἀναγκαζόμενοι χωρεῖν ἐσέπιπτόν τε ἀλλήλοις καὶ κατεπάτουν, περί τε τοῖς δορατίοις καὶ σκεύεσιν οἱ μὲν εὐθὺς διεφθείροντο, οἱ δὲ ἐμπαλασσόμενοι κατέρρεον.* Utrique loco optime convenit, quem schol. ad Thuc. l. l. (*οἱ δὲ ἐμπαλασσόμενοι κατέρρεον ἀντὶ τοῦ ἐμπλεκόμενοι κατέπιπτον*) et Aelius Dionys. apud Eustath. ad. Il E 100 p. 527. huic vocabulo tribuunt sensus implicandi. Quo modo alii id ceperint, discitur ex iis quae in Popp. edit. mai. ad Thuc. l. l. notata sunt; adde Lobeck. pathol. proleg. p. 88. — Ceterum Aelianus compluribus locis *ἐμπαλάσσειν* usurpavit. *)

Verbo *ἐξιέναι*, ubi de fluviis et paludibus in maria se exonerantibus dixerunt, Herodotus I 6, 4. 180, 5

---

1) V. Classen. ad Thuc. VIII 66, 2, ubi δικαίωσις valet ‚poena'. — Cf. Krueger. et Stein. ad Herod. I 100. — Suid. s. v. δικαιοῦν: δικαιοῦν δύο δηλοῖ· τό τε κολάζειν καὶ τὸ δίκαιον νομίζειν. οὕτως Ἡρόδοτος.

2) Formam mediam contra Elmsl. (ad Eurip. Med. 93. p. 87.) optime defendit Buttmann. ‚Sprachlehre II² § 113, 5 p. 86'.

*) Iterum contra Kruegerum mihi pugnandum est, cum ἐνάγειν verbi notionem impellendi incitandi intra Herodoti et Thucydidis dicendi usum contineri dicat (in adn. ad Thuc. I 67) eamque a ceteris scriptoribus Atticis abiudicet. Igitur Virum D. locus Isaei fugit, II. 20., quo legimus: ταῦτα τηνικαῦτα ἐνῆγεν ἐμὲ ποιήσασθαι (sc. υἱόν). Qui vero factum sit, ut Herodotus et Thucydidas hanc vocem frequentent neque multum absit quin reliqui scriptores Attici exhibeant, partim e diversis quas tractaverunt rebus repete partim e casu.

II 17, 20 VI 20, 4 VIII 124. 8, Thucydides I 46, 4: *ἐξίησι Ἀχερουσία λίμνη ἐς θάλασσαν.* II 102, 2: *ὁ Ἀχελῷος ποταμὸς ἐς θάλασσαν ἐξιεὶς* .. IV 103, 1: *ἡ Βόλβη λίμνη ἐξίησιν ἐς θάλασσαν* usi sunt. Eius vice apud ceteros Atticos cum alia funguntur verba tum *ἐμβάλλειν*, ut apud Plat. Phaed. p. 112 D 113 B C Xenoph. Anab. I 2, 8 IV 8, 2 Hellen. VII 4, 29 [1]). Contra recentiorum scriptorum plerique Herodotum Thucydidemque secuti sunt: Polyb. III 37, 8 X 48, 1 Strab. XII 9 Dio Chrys. or. XXXVI. = p. 437. C (M) Appian. Hisp. 6. Cass. D. XLII 41, 2. Aristid. vol. II. p. 440. (D).

Ἐπιβοώσας vocabulum cum Schneider, V. D., iure, puto, neget Xen. Cyn. VI 19 recte se habere, haud scio an activa huius vocabuli forma ab Attico sermone soluto alienum sit; pro certo vero affirmo mediam formam sensu invocandi implorandi, quo *ἐπικαλεῖσθαι* frequens est, Thucydide excepto ab eo abesse. Apud hunc et apud Herodotum loci sequentes illo verbo occupantur: Herod. I 87, 4: *ἐνθαῦτα λέγεται Κροῖσον ἐπιβώσασθαι τὸν Ἀπόλλωνα ἐπικαλεόμενοι* [2]). V 1, 9: *οἱ γὰρ ὦν ἀπὸ Στρυμόνος Παίονες χρήσαντος τοῦ θεοῦ στρατεύεσθαι ἐπὶ Περινθίους καὶ ἢν μὲν ἀντικατιζόμενοι ἐπικαλέσωνταί σφεας οἱ Περίνθιοι ὀνομαστὶ βώσαντες, τοὺς δὲ ἐπιχειρέειν, ἢν δὲ μὴ ἐπιβώσωνται, μὴ ἐπιχειρέειν, ἐποίεον οἱ Παίονες ταῦτα* ubi Steinii adnotatio inspicienda est, IX 23, 3: *τὴν ἄλλην στρατιὴν ἐπιβώσαντο.* Thuc. III 59, 2: *αἰτούμεθα ὑμᾶς, θεοὺς τοὺς ὁμοβωμίους καὶ κοινοὺς τῶν Ἑλλήνων ἐπιβοώμενοι, πεῖσαι τάδε* = 67, 2. (contra IV 97, 4: *ἐπικαλουμένους τοὺς ὁμωχέτας δαίμονας καὶ τὸν Ἀπόλλω*) — VII 69, 2: *ἄλλα λέγων ὅσα ἄνθρωποι ἐπὶ τῇ παρούσῃ ἐκπλήξει ὠφέλιμα νομίζοντες ἐπιβοῶνται.* 75, 4: *ἕνα ἕκαστον ἐπιβοώμενοι, εἴ τινά πού τις ἴδοι ἢ ἑταίρων ἢ οἰκείων.* (VIII 92, 8: *Θουκυδίδου τοῦ Φαρσαλίου ἐμποδών τε γιγνομένου καὶ ἐπιβοωμένου μὴ ἀπολέσαι τὴν πατρίδα*). Est etiam apud Eurip. Med. 168 Hom. α 378 β 143. Exemplis, quae Krueger ad Thuc. III 59, 2 collegit, adde Cass. D. XXXIX 29, 3. 38, 3 XLIX 9, 5 LVI 14, 4 alia.

---

1) Hoc verbum a Thucydidis opere abest; sed eodem sensu legitur I 46, 4 ἐσβάλλει, quo loco, ut aliorum scriptorum exempla omittam, Thom. Mag. praeceptum, quod s. v. ἐκβάλλει est, redarguitur.

2) Hic verborum ἐπιβώσασθαι et ἐπικαλεόμενον pleonasmus comparandus videtur esse cum ἔλεγε φάς simil.

Verbum defectivum quod dicitur *εἶσα* e poetis, quorum exempla e Matth. Gr. Gr. I. § 235. p. 585. Kuehner. Gr. Gr. I. § 343. p. 806. Krueger. Gr. Gr. II § 39. transscribere longum est, Thuc. recepit III 58, 5, ubi scripsit: *ἱερά τε θεῶν ἐρημοῦντες καὶ θυσίας τὰς πατρίους τῶν ἑσαμένων καὶ κτισάντων ἀφαιρήσεσθε* [1]) [2]). Herodotus non solum verbum simplex sed etiam composita admisit: I 66, 2: *Λυκούργῳ τελευτήσαντι ἱρὸν εἱσάμενοι σέβονται μεγάλως.* III 61, 14: *τοῦτον τὸν ἄνδρα εἷσε ἄγων ἐς τὸν βασιλήιον θρόνον.* 126, 14: *κτείνει μιν ὀπίσω κομιζόμενον ἄνδρας οἱ ὑπείσας κατ' ὁδόν.* VI 103, 15: *κτείνουσι οὗτοι ὑπείσαντες ἄνδρας.* Hoc utroque loco Cobet. (V. L. p. 88) scribi iussit *ὑπίσας* provocans ad I 89: *κάτισαν φυλάκους.* Sed iure editores monente Bredovio „de dialecto Herodotea" p. 148. vulgatam retinuerunt. Herod. I 88, 1 codices A B C P *κατεισε* praebent, R *κατισε*, quae momoria a librario videtur profecta esse.

Vocabulum *ἱκνεῖσθαι* genuino sensu venieudi Herodotus I 216, 12, Hippocrates de locis in homine vol. XXII. p. 153. ex., de articul. vol. XXIII. p. 240. m., de morbis vulgarib. vol. XXIII. p. 440. m., epist. vol. XXIII. p. 831. med., poetae tragici praebent, Attici scriptores ad unum omnes respuerunt. Nam Plat.

1) De textu constituendo et interpretando sequor Stahlium (annal. Fleckeis. 1868 p. 119. s.), sed nequaquam probo quae idem V. D. in „quaestt. grammat. ad Thuc. pertinent". [2] p. 61. de forma ἑσαμένων exposuit: „Atticam dialectum" inquit, „εἱσαμένων postulare (εἰσαμένων Pal., reliqui ἐσσαμένων ἑσαμένων vel ex interpr. ἱδρυσαμένων) Eur. Hipp. 31. Iph. T. 946. ostendunt." Etenim cum utroque loco (Euripid. Hipp. 31.: ναὸν Κύπριδος ἐγκαθείσατο. Iph. T. 946.: — ψῆφος, ἣν Ἄρει ποτὲ ‖ Ζεὺς εἵσατ' ἔκ του δὴ χερῶν μιάσματος) formae illae propter augmentum per ει diphthongum scribendae sint, Stahlii argumentatio corruit. Immo εἱσαμένων in dialectum Ionicam et epicam convenire et ex Herod. I 66 reliquisque locis supra laudatis et ex Hom. η 163: εἷσον apparet; v. Matth. Gr. Gr. I. § 235. p. 585 Schweighaeuser. ad Herod. III 126. Formam autem εἰσαμένων (= εἱσαμένων), quam cod. Palat. praebet, scribarum culpa, cum posteriores scriptores, Plut. Thes. c. 17. ex., Them. c. 22. in., Pyrrh. c. 1. in., Ionum more diphthongum ει participio tribuere consueverint, ortam esse consentaneum est. Quare Buttmanno Sprachlehre I [2] p. 108, II. adn. 7.) Georgio Curtio (‚das Verbum der griech. Sprache I [2] p. 129.') Kruegero astipulans formam ἑσαμένων probo. Denique quia huius verbi radix ἑδ vel σεδ est, Schweighaeuser l. l. Matth. Gr. Gr. I. § 235. p. 585. Veitch. p. 292. vehementer errant, cum tempus praesens ἕω pro ἕδω fingunt. Atque hanc formam veram esse iam dudum Buttmann. ‚Sprachlehre' II. § 114. adn. p. 203. ex. docuit.

2) Contra sollemni ubi de fanis aedificandis narratur verbo ἱδρῦσθαι Thucydides usus est II 15, 4, 5 VI 3, 1.

Phaedr. p. 276. D: *εἰς τὸ λήθης γῆρας ἐὰν ἵκηται* si verba *ἐὰν ἵκηται* non cum Schanzio delenda sunt, at certe totum locum poetico colore tinctum esse cum Stallbaumio statuo.

Porro dubium non est, quin Thuc. V 40, 1 e codd. E F M *ἥκοντο* i. e. *ἧκον τό* .. recipiendum sit.

Remanet tamen vocabulum *ἱκνεῖσθαι* in Thucyd. I 99, 3: *χρήματα ἐτάξαντο ἀντὶ τῶν νεῶν τὸ ἱκνούμενον ἀνάλωμα φέρειν*, ubi, cum in adiectivi vim abit, ‚conveniens‘ [1]) sonat. Hoc quoque sensu a sermone scriptorum Atticorum prorsus abhorret. Nam quod olim editiones in Xenophon. de venat. IX 14 praebuerunt: *διελεῖν καὶ τῇ σειρίδι καὶ τῷ ξύλῳ τῆς γῆς ὅσον ἵξεσθαι ἀμφοῖν*, haec lectio auctoritati codicum, qui exhibent *ἵζεσθαι*, refragatur; quae memoria non tentanda est.

Itaque (Aristotele et Theophrasto exceptis) solus [2]) Thucydides cum Herodoto et Hippocrate facit, qui *ἱκνεῖσθαι* eodem sensu utuntur hisce locis: Herod. II 36, 4: *τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι νόμος ἅμα κήδεϊ κεκάρθαι τὰς κεφαλὰς τοὺς μάλιστα ἱκνέεται.* VI 57, 22. 65, 13, 20: *Λευτυχίδης ἀπέφαινε τὸν Δημάρητον οὐκ ἱκνευμένως* [3]) *βασιλεύοντα Σπάρτης.* 84, 13: *Κλεομένεα λέγουσι μᾶλλον τοῦ ἱκνεομένου μαθεῖν τὴν ἀκρητοποσίην παρ' αὐτῶν.* 86 *α*, 11: *ἐν χρόνῳ ἱκνευμένῳ.* IX 26, 32: *τοῦ δὲ ἑτέρου* (sc. *κέρεος*) *φαμὲν ἡμέας ἱκνέεσθαι ἡγεμονεύειν* (cf. v. 37: *δίκαιον ἡμέας ἔχειν τὸ ἕτερον κέρας*). — Hippocrat. de aere aquis locis vol. XXI. p. 534. med.: *προγηράσκειν τοῦ χρόνου τοῦ ἱκνευμένου*, de morbo sacro vol. XXI. p. 610. in.: *παρίστανται ἡμῖν φροντίδες οὐχ ἱκνεύμεναι*, de mulier. morbis lib. II. p. 312. in.: *γάλα πίνειν ἱκνεομένως*, de fract. vol. XXIII. p. 134. med.: *ἐν τῷ ἱκνεομένῳ χρόνῳ.*

A scriptoribus labentis graecitatis hunc vocabuli usum instauratum esse Stephanus in thesauro Wyttenbach. ad Plut. de educ. pueror. p. 6 C Schaefer ad Gregor. Corinth. p. 548. Veitch. p. 333 ostenderunt.

Ceterum Thucydides *προσήκειν* quidem vocabulum, quod apud At-

---

1) schol.: τὸ ἐπιβάλλον.

2) Verba, quae apud Demosth. XLIII 66 exstant in oraculo Delphico ἐν ἱκνουμένᾳ ἁμέρᾳ paulo post (§ 67.) ab oratore sic explicantur: ἐν ταῖς καθηκούσαις ἡμέραις.

3) Cf. Gregor. Corinth. p. 547. Schaef.: τὸ οὐχ ἱκνεομένως ἀντὶ τοῦ προσηκόντως, οὐ καθηκόντως.

ticos frequentissimum est, eodem significatu usurpavit, *καθήκειν* autem verbo principalem significationem ubique reliquit.

Καταβοᾶν verbi significatio ,clamoribus insectandi invehendi' intra Herodoti et Thucydidis orationem cohibetur. Ita Herodotus scripsit VI 85, 2: *ἔπεμπον ἐς Σπάρτην ἀγγέλους καταβωσομένους.* Thuc. I 67, 1: *κατεβόων τῶν Ἀθηναίων.* 115, 2: *κατεβόων τῶν Σαμίων.* V 45, 4: *Ἀλκιβιάδου καταβοῶντος τῶν Λακεδαιμονίων.* Aliam vim huic vocabulo subiecerunt Sophocles El. 1067: *ὦ χθονία βροτοῖσι φάμα κατά μοι βόασον οἰκτρὰν ‖ ὄπα τοῖς ἔνερθ' Ἀτρείδαις* q. e. ,clamore perfer s. nuntia Atridis', et aliam Aristoph. Ach. 711 (D): *κατεβόησε δ' ἂν κεκραγὼς τοξότας τρισχιλίους* = clamando autem et vociferando superasset sagittariorum tria milia; cf. Eq. 286: *καταβοήσομαι βοῶν σε* = clamando superabo te.

Occasione oblata memorare liceat Thucydidem vocabulo *καταβοή* I 73, 1 VIII 85, 2 (= criminatio, convicium) VIII 87, 3 (= rumor, fama) usum a Dionysio Halic. epist. ad Am. II. c. 3. reprehensum esse, ut quae vox nimis poetica esset. At suo ipsius gladio se iugulavit, cum *καταβοή* in ant. R. reciperet: v. Poppo. et Krueger. ad Thuc. I 73. Secuti sunt alii, quorum nonnulli, Plut. Themist. 7. 23. Pericl. 14 . . ., Diodor. V 11, 2, Appian., Cass. D. XXXIX 59, 2 XLII 16, 2 etiam *καταβοᾶν* renovarunt.

A verbo *καταινεῖν*, quod Thuc. IV 122, 3: *Ἀριστώνυμος τοῖς μὲν ἄλλοις*[1]) *κατῄνει* exstat, utrum reliqui scriptores Attici consilio abstinuerint, an forte acciderit ut apud eos non reperiatur, decernere non audeo. Herodotum eo gaudere praeter exempla a Schweighaeusero congesta ex his locis patefiet: III 144, 5: *καταινέσαντος ἐπὶ τούτοισι Ὀτάνεω.* IV 80, 16: *ὁ Ὀκταμασάδης καταινέει ταῦτα.* V 82, 15. VI 62, 7, 13. Apud poetas tragicos hoc vocabulum hic illic deprehenditur.

Κομπεῖν, quod apud poetas, imprimis tragicos increbruit, etiam ab Herod. V 41, 8: *φάμενοι αὐτὴν κομπέειν ἄλλως*, Thucyd. VI 17, 5: *οὐδ' ὁπλῖται οὔτ' ἐκείνοις (εἰσὶν) ὅσοιπερ κομποῦνται οὔτε . .* IV 126, 6: *οἱ τοιοῦτοι ὄχλοι τὸ ἀνδρεῖον ἐπικομποῦσιν.* VIII 81, 3: *ὑπισχνεῖτο τάδε μέγιστα ἐπικομπῶν ὁ Ἀλκιβιάδης* et recentioribus scriptoribus receptum est. Usitatiora sunt cum alia tum *ἀλαζονεύεσθαι.*

Ut Herodotus I 59, 34: *ἐπὶ τοῖσι κατεστεῶσι ἔνεμε τὴν πόλιν.*

---

1) Dativum Stahl. iure proscribere et accusativum reposcere videtur.

V 29, 10: *ἀπέδεξαν τούτους τὴν πόλιν νέμειν.* 71, 6: *οἱ πρυτάνιες τῶν ναυκράρων, οἵ περ ἔνεμον τότε τὰς Ἀθήνας.* 92 β 3: *ἦν ὀλιγαρχίη καὶ οὗτοι Βακχιάδαι καλεόμενοι ἔνεμον τὴν πόλιν.* VII 158, 12 (III 39, 5) ita Thucydides praeter *διοικεῖν* (VIII 21), quod scriptores Attici ponere solent, significatu administrandi *νέμειν* dixit I 120, I: *χρὴ τοὺς ἡγεμόνας τὰ ἴδια ἐξ ἴσου νέμοντας τὰ κοινὰ προσκοπεῖν.* VIII 70, 1: *τὰ ἄλλα ἔνεμον κατὰ κράτος τὴν πόλιν* [1]). Eos recentiores secuti sunt.

Eam autem huius verbi significationem, quae illi subiacet, ‚locum aliquem partitione facta possidendi vel incolendi indeque fructum percipiendi‘, quamquam in nullo quod aetatem tulit opere vetere reperitur nisi in Herodoti et Thucydidis libris et apud poetas, tamen in Attico sermone Thucydide posteriore non interisse ex Ephori fr. 26 M et Theopompi fr. 221 a discimus. Quod commemoro, ne quis Kruegeri ad Thuc. I 2, 1 adnotationem perverse percipiat.

Νεοχμοῦν s. *νεοχμεῖν* verbum, q. e. innovare, res novas moliri, unus ex omnibus scriptoribus Atticis Thucydides servavit I 12, 2: *πολλὰ ἐνεόχμωσεν* sc. *ἡ ἀναχώρησις*; ceteroqui et ipse *νεωτερίζειν* praetulit. Apud Herodotum autem non solum *νεοχμοῦν* IV 201, 15 V 19, 13, sed etiam adiectivum *νεοχμός* IX 99, 17. 104, 6 legitur, quod est etiam apud Hippocr. de mulier. morbis lib. I. vol. XXII. p. 638. ex., lib. II. p. 805. ex.

Utrumque vocabulum apud poetas durasse, a scriptoribus recentioris aetatis in lucem rursus prolatum esse cum et e lexicis et e Rutherf. adnotatione 15. ad Phryn. p. 20 cognoscatur, aliis exemplis illustrare supersedeo.—*)

Ξυμφέρεσθαι verbi significationem eveniendi accidendi secundum ea, quae de vi nominis *ξυμφορά* huic plane respondenti

---

1) Cf. Thom. Mag. s. v. νέμω: ἔστι δὲ τὸ νέμω ἀντὶ τοῦ — καὶ ἀντὶ τοῦ διοικῶ. Θουκυδίδης ἐν τῇ ὀγδόῃ· ‚τὰ δὲ ἄλλα ἔνεμον κατὰ κράτος τὴν πόλιν‘. Perperam schol. explicat: ἐνέμοντο καὶ ἐκαρποῦντο.

* (Valde dubito num Sauppe (lexilog. Xenoph. s. v. ἀπονοστεῖν) Classen (ad Thuc. III 89, 2) alii ἀπονοστεῖν, ὑπονοστεῖν ab Attico sermone soluto recte abiudicaverint. Nam ἀπονοστεῖν est apud Thuc. VII 87, 6 Xenoph. Anab. III 15, 16 περινοστεῖν apud Demosth. XIX 255 Plat. Rpl. p. 558. A ὑπονοστεῖν apud Thuc. III 89, 2. Sane concedendum est neminem saepius Herodoto cum verbo νοστεῖν tum ἀπονοστεῖν usum esse: cf. V 24. 92. VI 61. 82. VII 38. 50. 107. 148. 229. 232. — IV 77. 132. 152. 159. 205. V 118. VI 27. 92. VII 10. 137. 171. 231. VIII 10. 38. Alia exempla Schweighaeuser suppeditat.

disseruimus, ab Attico sermone vulgari alienam [1]) Thucydidique cum Herodoto communem esse et per se credibile est et exemplis comprobatur. Ita fit ut *ξυμφέρεσθαι* apud eos plane eodem munere quo *συμβῆναι* fungatur, igitur modo cum nomine subiecti vicem obtinenti modo cum infinitivo copulatur. Illius generis haec sunt exempla:

Herod. III 10, 6: *οὐδέν οἱ μέγα ἀνάρσιον πρῆγμα συνηνείχθη.* IV 157, 2: *οὐδὲν γάρ σφι χρηστὸν συνεφέρετο.* VIII 86, 7: *ἔμελλε τοῦτό σφι σὔνοίσεσθαι οἷόνπερ ἀπέβη.* Thuc. I 9, 2: *καὶ ὕστερον ἐκγόνοις ἔτι μείζω ξυνενεχθῆναι.* VII 44, 1: *οὐ ῥᾴδιον ἦν πυθέσθαι, ὅτῳ τρόπῳ ἕκαστα ξυνηνέχθη.* VIII 84, 1: *ὄντων αὐτῶν ἐν τούτῳ ἀναλογισμῷ ξυνηνέχθη καὶ τοιόσδε τις θόρυβος περὶ Ἀστύοχον*, alterius haec:

Herod. I 19, 2: *συνηνείχθη τι τοιόνδε γενέσθαι πρῆγμα.* II 111, 3: *συνενειχθῆναι δέ οἱ τυφλὸν γενέσθαι διὰ τοιόνδε πρῆγμα.* VI 86 α, 4, 11. Thuc. I 23, 1: *παθήματά τε ξυνηνέχθη γενέσθαι ἐν αὐτῷ τῇ Ἑλλάδι, οἷα ....* VIII 83, 2: *ξυνηνέχθη γὰρ αὐτοῖς τὸν Τισσαφέρνην ἐς τὸ μισεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν ἐπιδεδωκέναι.*

Haec verbi *ξυμφέρεσθαι* significatio diu oblivione obruta apud Lucian. de Syr. dea cap. 27. Appian. Syriac. cap. 34. bell. civ. I 85. 104. Cass. D. LVIII 12, 1 LXII 1, 1 aliisque locis Arrianum [2]) emersit.

His perlustratis illud tantum restat ut commemorem etiam Thucydidi *ξυμβαίνειν* longe familiarius esse; singulos autem locos, cum ad propositum meum nihil faciant, enumerare omitto.

Ὀτρύνειν verbum et quae ab eo ducta sunt *ἐξοτρύνειν παροτρύνειν συνεξοτρύνειν συνοτρύνειν*, quippe cum poetis Herodoto Hippocrati familiaria sunt, ceterum non obviam fiant nisi apud Thuc. I 84, 2. 90, 1: *ἐξοτρύνειν* VI 69, 2: *σαλπιγκταὶ ξύνοδον ἐπώτρυνον τοῖς ὁπλίταις* [3]). VII 25, 1: *ἐποτρύνειν*, Aristot. 399^b 11:

---

1) Neque enim recte locum Platonis in Politic. p. 270. C: μεταβολὰς μεγάλας καὶ πολλὰς καὶ παντοίας συμφερομένας ἄρ' οὐκ ἴσμεν τὴν τῶν ζώων φύσιν ὅτι χαλεπῶς ἀνέχεται huc relatum esse (in Steph. thes.) sed ibi συμφέρεσθαι valere ‚simul ferri, moveri, concurrere' censeo. Aristoph. vero Nub. 594 M cum Herodoto et Thucydide consentit.

2) V. Grundmann p. 74.

3) Quae verba cum valeant ‚ad concursum pedites instigare' Krueger in dativo ὁπλίταις offendit et iure negavit eum defendi Hom. χ 152: νῶιν ἐποτρύνει πόλεμον κακόν. Ibi enim νῶιν e πόλεμον κακόν pendet. Sed recte componantur

ὀτρύνειν et apud scriptores labentis graecitatis Plut. v. Coriol. 9., v. Paul. 33., v. Crass. 23: *ἐποτρύνειν*, Luc. de gymn. 4., navig. 30: *ἐποτρύνειν*, Tox. 35., deor. cont. 4: *παροτρύνειν*, Cass. D. XLVII 43, 2 LIX 25, 2: *ἐξοτρύνειν*, inter vocabula poetica et quae a vulgari Atticorum usu remota erant referre non dubito. Herodoti et Hippocratis exempla haec sunt: Herod. I 204, 7. VII 104, 14. 170, 4. 223, 15: *ἐποτρύνειν*. Hippocr. praecept. vol. XXI. p. 80. in., de mulier. morbis lib. II. vol. XXII. p. 815. med., de fract. vol. XXIII, p. 100. med.

Synonymorum quae in omnium usu erant ingens numerus apud Thucydidem invenitur: *διακελεύεσθαι ἐξάγειν ἐξορμᾶν ἐπαίρειν ἐπικελεύεσθαι παροξύνειν προάγειν* alia.

In verbi *παρέχειν* vi et usu Herodotus et Thucydides a ceteris scriptoribus Atticis differunt quatenus id impersonaliter ponunt eodemque fere sensu quo *παρεῖναι* usurpant [1]).

Herodotea id genus exempla a Schweighaeusero praetermissa vidi I 170, 4: *πυνθάνομαι γνώμην Βίαντα ἀποδέξασθαι Ἴωσι χρησιμωτάτην, τῇ εἰ ἐπείθοντο, παρεῖχε ἄν σφι εὐδαιμονέειν Ἑλλήνων μάλιστα.* IV 140, 6: *εἰ γὰρ ταῦτα μὴ ἐποίησαν, παρεῖχε ἄν σφι, εἰ ἐβούλοντο, εὐπετέως ἐξευρεῖν τοὺς Πέρσας.* VIII 140 α, 19: *παρέχει ὑμῖν κάλλιστα καταλύσασθαι.*

Thucydidea indagavi haec: I 120, 3: *ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἐστιν ἀδικουμένους ἐκ μὲν εἰρήνης πολεμεῖν, εὖ δὲ παρασχὸν ἐκ πολέμου πάλιν ξυμβῆναι.* IV 85, 2: *νῦν, ὅτε παρέσχεν, ἀφιγμένοι καὶ μετὰ ὑμῶν πειρασόμεθα κατεργάζεσθαι αὐτούς.* V 14, 2: *μετεμέλοντο ὅτι καλῶς παρασχὸν οὐ ξυνέβησαν.* 60, 5: *νομίζοντες κἀκεῖνοι μὴ ἂν σφίσι ποτὲ κάλλιον παρασχὸν Λακεδαιμονίους διαπεφευγέναι.* 63, 1: *Λακεδαιμόνιοι Ἆγιν ἐν μεγάλῃ αἰτίᾳ εἶχον οὐ χειρωσάμενον σφίσιν Ἄργος παρασχὸν καλῶς.* VI 86, 5: *νομίσαι . . . οὐ πολλάκις παρασχήσειν μετὰ τοσῆσδε ἐπικουρίας ἀμύνασθαι.*

Accedunt Hippocrat. de genitur. vol. XXI. p. 378. med., Eurip. Electr. 1080 (D), ubi v. Seidleri not., Pind. Isth. VII. 69. Exemplis quae in Steph. thes. laudantur adde Plut. v. T. Quinct. Flam. 13. Cass. D. LV 27,5 Aristid. vol. I. p. 539. (D).

Hom. O 258: ἀλλ' ἄγε νῦν ἱππεῦσιν ἐπότρυνον πολέεσσιν νηυσὶν ἔπι γλαφυρῇσιν ἐλαυνέμεν ὠκέας ἵππους. κ 531: δὴ τότ' ἔπειθ' ἑτάροισιν ἐποτρῦναι καὶ ἀνῶξαι — μῆλα — δείραντας κατακῆαι. Cass. Dio Thucydidem sic imitatur XLVII 43, 2: οἱ ἄλλοι οἱ ἐπὶ τὴν σύνοδον αὐτοὺς ἐξοτρύνοντες.

1) Cf. Krueger. Gr. Gr. I. 61. 5. 7. II. 52. 2. 4., adnot. ad Thuc. I 120, 3.

Προφέρειν idem atque *διαφέρειν ὑπερφέρειν προέχειν* sonat apud Herod. III 106, 12: *τὰ δὲ δένδρεα τὰ ἄγρια αὐτόθι φέρει καρπὸν εἴρια καλλονῇ τε προφέροντα καὶ ἀρετῇ τῶν ἀπὸ τῶν ὀίων.* V 28, 5: *ἡ Νάξος εὐδαιμονίῃ τῶν νήσων προέφερε.* VI 127, 24: *πλούτῳ καὶ εἴδεϊ προφέρων Ἀθηναίων*, apud Thucyd. I 123, 1: *πλούτῳ τε νῦν καὶ ἐξουσίᾳ ὀλίγον προφέρετε* (cf. III 93, 3). II 89, 3: *εὐψυχίῃ γε οὐδὲν προφέρουσιν.* VII 64, 2: *εἴ τίς τι ἕτερος ἑτέρου προφέρει ἢ ἐπιστήμῃ ἢ εὐψυχίᾳ.* VII 77, 2: *οὐδενὸς ὑμῶν οὔτε ῥώμῃ προφέρων* ....
Haec verbi significatio interdum apud poetas Eurip. Med. 1092, saepe apud Cass. D. occurrit. *)

Σπέρχειν verbum a poetis aut ab Herodoto Thucydides mutuatus est; quod si non ipsum attamen in compositis *ἐπισπέρχειν* IV 12, 1, *κατασπέρχειν* IV 126, 6 apud eum comparet.
Ex Herodoto primum affero III 72, 2: *λέγει πρὸς ταῦτα Ὀτάνης, ἐπειδὴ ὥρα σπερχόμενον Δαρεῖον κτλ.*
Secuntur ii loci quibus *σπέρχεσθαι* notionem irascendi induit: I 32, 3: *Κροῖσος δὲ σπερχθεὶς εἶπε.* V 33, 18: *κάρτα δεινὸν ἐποιήσατο ὁ Μεγαβάτης καὶ ἐσπέρχετο τῷ Ἀρισταγόρῃ.* VII 207, 7: *τοῖσι μέν νυν ἄλλοισι Πελοποννησίοισι ἐδόκεε ἐλθοῦσι ἐς Πελοπόννησον τὸν Ἰσθμὸν ἔχειν ἐν φυλακῇ. Λεωνίδης δὲ Φωκέων καὶ Λοκρῶν περισπερχθέντων* 1) *τῇ γνώμῃ ταύτῃ αὐτοῦ μένειν ἐψηφίζετο.*
Hic ipse vocabulum *σπέρχειν* e poetis non videtur ascivisse, cum Phavorinus, quamquam eius auctoritatem non multum valere non ignoro, doceat: *σπερχθεὶς ἀντὶ τοῦ θυμωθεὶς καὶ ταραχθεὶς λέγουσιν Ἴωνες.* Cf. Gregor. Corinth. p. 499. Schaef.

---

*) Verbum ῥύεσθαι quod legimus apud Thuc. V 63, 3: ὁ (Ἆγις) δὲ παρῃτεῖτο μηδὲν τούτων δρᾶν· ἔργῳ γὰρ ἀγαθῷ ῥύεσθαι τὰς αἰτίας στρατευόμενος, quamquam ex iis est quae reliqui scriptores Attici non amant, Herodotus et Hippocrates amant, tamen e numero vocum nobis recensendarum excludendum est. Rectissime enim Stahl. (in adn. ad Thuc. l. l.) contra Dobraeum et Herwerdenum monuit hoc verbum Agidis, non Thucydidis esse.

Ceterum Stahlio (l. l.) et Rutherfordio (ad Phryn. p. 11.), cum ῥύεσθαι a scriptoribus prosae orationis Atticae prorsus abiudicent, videtur non innotuisse Hyperid. Epitaph. p. 54. v. 15. (Bl.[2]) ubi certissimo, puto, supplemento legitur: οὕτως καὶ ἡ πόλις ἡμῶν διατελεῖ τοὺς μὲν κακοὺς κολάζουσα τοὺς δὲ δικαίους ῥ[υομένη].

1) Pro codicum memoria περισπερχεόντων, quod verbum eodem modo ab adiectivo περισπερχής ductum esse dicunt quo modo λυσιτελεῖν a λυσιτελής, ἀσεβεῖν ab ἀσεβής, cum Valckenario περισπερχθέντων scribi malo, quippe cum huius verbi

Quis recentiorum scriptorum *σπέρχειν* receperit, Matth. Gr. Gr. Kuehner Gr. Gr. Veitch. l. l. Krueger ad Thucyd. IV 12 Bloomfield. ad Thucyd. IV 126 indicant. — Adverbium ab eadem stirpe ortum *ἐπισπερχῶς* in Xenoph. Cyr. IV 1, 3 exstat. Quod Sauppe in lexilogo Xenoph. iure inter ea rettulit vocabula, quae „a consuetudine optimorum scriptorum recedunt".

Ionum more *ὑποκρίνεσθαι* pro *ἀποκρίνεσθαι* Thucydides VII 44, 5 adhibuit: *τὸ δ' ἐκείνων (σύνθημα) οὐχ ὁμοίως ἠπίσταντο (οἱ Ἀθηναῖοι) διὰ τὸ κρατοῦντας αὐτοὺς καὶ μὴ διεσπασμένους ἧσσον ἀγνοεῖσθαι, ὥστ' εἰ μὲν ἐντύχοιέν τισι κρείσσους ὄντες τῶν πολεμίων, διέφευγον αὐτοὺς ἅτε ἐκείνων ἐπιστάμενοι τὸ ξύνθημα, εἰ δ' αὐτοὶ μὴ ὑποκρίνοιντο διεφθείροντο.* Quo loco etsi cod. M *ἀποκρίνοιντο* praebet, libris optimis nec non testimoniis lexicographorum veterum [1]) Photii Suidae (Eustathii) Phavorini Etym. M. nisi *ὑποκρίνοιντο* contra Naber. (ad Phot. s. v. *ὑποκρίνεσθαι* adn. 7.) Bekkerum Kruegerum ceteri editores et Georgius Curtius (Berichte d. sächs. Gesellsch. d. Wissensch. 1866. Ph.-h. Klasse, p. 150.) summo iure defenderunt.

Sed iam mihi dimicandum est cum Sommerbrodtio utpote qui (Mus. Rh. vol. XXII. [1867] p. 515.) hoc loco verbo *ὑποκρίνεσθαι* notionem respondendi subtrahere studuerit. „Auf die Antwort", inquit, „kam es hierbei nicht an, sondern auf die richtige Antwort. Zu *ὑποκρίνοιντο* ist *τὸ σύνθημα* zu ergänzen; *ὑποκρίνεσθαι τὸ σύνθημα* heiszt: ‚über die Parole Rede stehen, sich ausweisen, vertreten.' Sie wollten als zu den Feinden gehörig gelten. Wenn sie nun die Parole nicht kannten, daher die von ihnen übernommene Rolle nicht durchführen konnten, so waren sie verloren." Rem paucis absolvamus. Cur tandem voce *τὸ σύνθημα* recte suppleta notionem respondendi damnat? Quid enim? nonne Athenienses *τὸ σύνθημα* respondentes recte responderunt? Non reliqua quaecunque V. D. protulit arbitraria sunt et artificiosa? Ceterum vide quae ei Georgius Curtius Mus. Rh. vol. XXIII. p. 257 = kl. Schrift. II. p. 258. — per certamen quod inter eos de vi vocabuli *ὑποκριτής*

---

notio ‚irascendi' ad sententiarum nexum magis quadret quam illius, quae ‚commoveri' videtur esse.

1) Phot. et Suid. haec tradunt: ὑποκρίνεσθαι· τὸ ἀποκρίνεσθαι οἱ παλαιοί. καὶ ὁ ὑποκριτὴς ἐντεῦθεν ὁ ἀποκρινάμενος τῷ χορῷ. Θουκυδίδης ζ. εἰ δ' οὐδὲν ὑποκρίνοιντο, διεφθείροντο. καὶ οἱ Ἴωνες. οὕτως Ἡρόδοτος (VIII 144, 30 seq.). οἱ μὲν ταῦτ' ὑποκρινάμενοι Ἀθηναίων ἀπηλλάττοντο. Fere eadem habent Eustath. p. 1437. (R) (cf. p. 687.) et reliqui.

exarsit — opposuit. Igitur Thucydidis l. l. *ὑποκρίνεσθαι* servo, servatum interpretor ‚respondere'.

Quaerenti ubi praeterea in operibus Attice conscriptis *ὑποκρίνεσθαι* pro *ἀποκρίνεσθαι* dictum sit, nullum possum porrigere locum nisi tritum illum Xenophontis, dubitationi valde obnoxium Mem. I 3, 1: *φανερὸς ἦν καὶ ποιῶν καὶ λέγων ᾗπερ ἡ Πυθία ὑποκρίνεται τοῖς ἐρωτῶσι πῶς δεῖ ποιεῖν ἢ περὶ θυσίας ἢ περὶ . . . . ἡ γὰρ Πυθία νόμῳ πόλεως ἀναιρεῖ ποιοῦντας εὐσεβῶς ἂν ποιεῖν.* Hic tamen memoria codicis A quamquam deterioris *ἀποκρίνεται* propter simillimum locum IV 3, 16: *ὅταν τις αὐτὸν* (sc. *τὸν ἐν Δελφοῖς θεὸν*) *ἐπερωτᾷ πῶς ἂν τοῖς θεοῖς χαρίζοιτο, ἀποκρίνεται ‚νόμῳ πόλεως'*, ubi uterque codex *ἀποκρίνεται* exhibet, videtur praeferenda esse. Certe nihil expedit provocare ad Herod. I 91, 29: *ταῦτα μὲν ἡ Πυθίη ὑπεκρίνετο τοῖσι Λυδοῖσι.* Herodoto enim ubique etiam invitis codicibus *ὑποκρίνεσθαι* reddendum esse Bredovius p. 36. seq. demonstravit.

Ionicum esse *ὑποκρίνεσθαι* sensu respondendi praeter Herodotum Hippocrates de fractis vol. XXIII. p. 81. p. 94. p. 98. et Arrianus in Indicis [1]) testantur. Adde *ὑπόκρισις* = responsum ex Hippocr. de capit. vulnerib. vol. XXIII. p. 357.

Verbum *φονεύειν*, quod est apud Thucyd. I 50, 1 III 81, 4 VII 29, 4. 85, 1 VIII 95, 6 ab exculto Atticorum sermone pedestri alienum esse et ubicunque apud Atticos occurrit ex Iade residere cum Rutherfordio (in Phryn. p. 15.) pro certo habeo: a Platone enim (Legg. p. 871. D p. 873. E) *φονεύειν* in iudiciali oratione adhibitum est, qua voces obsoletas diu servari nemo nescit; item priscum loquendi morem Theopompus fr. 249 M. videtur servasse. Xenophontem autem, qui Mem. I 2, 11. Cyr. III 3, 64 VII 1, 32 *φονεύειν* exhibet, verba a vulgari usu remota admiscuisse supra vidimus.

Ab Herodoto verba *φονεύειν*, *καταφονεύειν* frequentata esse ex exemplorum quae Schweighaeuser collegit eorumque quae allaturus sum multitudine cognosces: IV 64, 3. 203, 19. V 71, 7. 77, 7. 92 η, 4. 102, 10 VI 26, 9. 45, 4. 78, 7 VII 7, 8. 233, 18. Item poetae tragici [2]) et recentiorum scriptorum cum alii tum Plutarchus et Cassius Dio ea verba amant.

---

1) Exempla quae in iis exstant Boehner p. 7. collegit.

2) Exemplis a Rutherfordio allatis adde συμφονεύειν Eurip. Hec. 391 Ion. 851. 1045.

In usu χρῆν vocabuli, q. e. oraculum edere, oraculo edere ut . ., vaticinari, responsum dare, poetae epici tragici comici, Herodotus Thucydides frequentes sunt, ceteri autem scriptores Attici tam parci, ut post Thucydidem e cotidiano sermone videatur excidisse. Est enim apud Herodot. I 66, 8. 174, 22. II 139, 10. IV 67, 10. 150, 9. 159, 6, 8. 163, 5, 14. V 1, 6. 43, 7. 67, 11. 80, 5. 92 β, 15 VI 19, 2, 4, 6. 76, 1. 77, 8. 136, 2. VII 140, 4. 141, 7, 11. 142, 7. 148, 18. 239, 4 VIII 51, 12. 135, 11, 16; reliquos locos Schweighaeuser congessit; apud Thucyd. I 123, 1. 134, 4 II 102, 5 III 96, 1 V 16, 2. 32, 1; ceterum apud Lycurg. § 99., ubi orator fabulam quandam ab Euripide tractatam narrat, et apud Ephor. fr. 155.
Apud scriptores Atticos pro eo *ἀναιρεῖν* [1]) *χρησμῳδεῖν μαντεύεσθαι* invaluerunt.

---

1) V. Krueger. ad Thuc. I 126, 2.

CAPUT III.

De usu nonnullorum verborum.

§ 1. De nominibus.

Primum *πεζός* adiectivum articulo masculino sive praecedente sive non praecedente notandum mihi videtur, quatenus per ellipsin pro pleniore voce (ὁ) *πεζὸς στρατός* ponitur ab Herodoto III 25, 9 IV 128, 12, 13 VI 9, 3 VII 26, 2. 41, 7. 44, 2, 6. 48, 3. 55, 2. 84, 3. 96, 4. 100, 6, 10 VIII 71, 1, a Thucydide I 47, 2 II 86, 4. 90, 3 III 7, 5 IV 9, 2. 25, 3, 10 V 3, 2 VI 21, 1 VII 34, 2. 35, 1. 37, 1, 2. 38, 1. 41, 4. 62, 4. 69, 3. 70, 1. 71, 1. 87, 6 VIII 16, 1, 3. 19, 4 (bis). 22, 1. 23, 5. 27. 4. Namque detractiones masculini substantivi alicuius inter rarissimas esse Krueger Gr. Gr. I. 43. 3. 2. evicit [1]). Utrum autem vox *τὸ πεζὸν*, utpote quae non solum ab Herodoto (VII 81, 2) et Thucydide (III 30, 2 VI 31, 3. 66, 3) sed etiam a ceteris Atticis, Isocrate (IV 90 VIII 98) Xenophonte (Hell. I 6, 38 II 1, 28 III 4, 2, 27) probata sit, item per ellipsin explicetur necne, cur hic inquiramus non est. Iam transeamus ad vocabula

Τρῳάς, Ἰάς, Ἑλλάς, Ἰλιάς. Quibus aliter poetas [2]), Herodotum Thucydidem (scriptores recentiores), aliter ceteros scriptores Atticos, adiective illos, hos substantive, usos esse Rutherford. ad Phryn. p. 21. exponere praeoccupavit. Hoc quoque V. D. bene contendit genuinam eorum vim adiectivam apud hos in verba *Τρωική, Ἰλιακή, Ἑλληνική* sive *Ἑλληνίς* transisse.

---

1) Cf. Krueger. ad Thuc. I 47. — 2) Cf. Krueger. ad Herod. IV 78, 1.

Sed opponet quispiam (Aeschin.) epist. X. 3: ἐν τῇ Τρωάδι γῇ et Plat. Soph. p. 242. D: Ἰάδες δὲ καὶ Σικελαί τινες ὕστερον Μοῦσαι ξυννενοήκασιν. At auctorem illius epistulae aliis quoque in rebus contra Atticorum dicendi consuetudinem peccasse infra videbimus. Platonis autem locus accurata eget contemplatione. Nam quia illis verbis Empedocles et Heraclitus Ephesius, quorum alter poema versibus heroicis alter opus vocibus tropicis scatens [1]) confecit, significantur, Plato poeticis verbis poetas lepide appellavit suamque orationem colore poetico, ut solet, tinxit.

Iam videamus Thucydidis et Herodoti exempla: Thuc. I 131, 1: ἐς τὰς Κολωνὰς τὰς Τρῳάδας. IV 61, 2: τῇ Ἰάδι ξυγγενείᾳ. VI 62, 2: Ἑλλὰς πόλις.

Ex Herodoto haec afferre satis habeo: ἐν τῇ Τρωάδι γῇ: V 26, 4. — αἱ Ἰάδες πόλεις: I 142, 16. 149, 1. VI 31, 11. ἡ Ἰὰς στρατιή: V 33, 3. VII 97, 4. Ἰὰς δίαιτα: IV 95, 8. Ἰὰς ἐσθής: V 87, 15. 88, 1. Ἰάδες νέες: VI 9, 5. VIII 130, 13. — Ἑλλὰς γῆ: VII 135, 12. Ἑλλὰς γλῶσσα II 56, 10. 137, 21. 143, 20. 144, 9. 154, 7. IV 78, 7 (sed v. 22. Ἑλληνίδα ἐσθῆτα). 110, 3. 155, 16. 192, 16. VI 98, 16. VIII 135, 12. IX 16, 13. πολὶς Ἑλλάς: IV 12, 6. V 93 11. VII 22, 15. 115, 3. Ἰλιὰς χώρη: V 94, 13: Ἰλιὰς γῆ VII 42, 7.

Nec vero facere possum quin Rutherfordio repugnem, cum inter haec vocabula Περσίς referat. Hoc enim ut a Thucydide I 138, 1: τῆς Περσίδος γλώσσης ita ab Isocrate V 66: ὑπὸ Περσίδος γυναικός Xenophonte Cyr. II 1, 1: Περσίδα γῆν VIII 5, 25: χώρᾳ Περσίδι adiective positum est; accedit quod alia vocabula in -ις desinentia, ut Λοκρίς, modo adiectivorum modo substantivorum vicem apud Atticos obtinent.

§ 2. De pronominibus.

Thucydidem, cum haud paucis locis pronomina σφῶν, σφίσιν ad subiectum eiusdem enuntiati rettulit, Jonum morem dicendi recepisse sermo Herodoti ostendit. Ex hoc aliquot exempla congessit Grundmann. p. 53., Thucydidea quotquot inveniuntur collegit et disposuit Krueger ad Thuc. I 25, 2 II 65, 9. De hoc usu cum Arndtium ‚De pronominum reflexivorum usu apud Graecos‘ — qui libellus doleo quod mihi non praesto est — accuratissime exposuisse

---

1) V. Clem. Alex. ‚Strom.‘ V. p. 676. P.

suspicer, de integro inquirere, quantopere increbruerit, supersedeo.

Eandem ob causam quaestionem instaurare nolo, utrum Goeller (act. philol. Monac. II. 3. p. 341.) aliique viri docti Thuc. V 49, 1 VI 61, 5 *σφᾶς* pronomen [1]) in suspicionem iure vocaverint necne.

Pergo ad pronomina *ὅδε, τοσόσδε, τοιόσδε.*

Ex Atticis scriptoribus prosae orationis veteribus Thucydides aeque atque Herodotus non discernit inter pronomina *ὅδε* et *οὗτος, τοιόσδε* et *τοιοῦτος, τοσόσδε* et *τοσοῦτος*. Non raro enim ab his, rarissime ab illis *ὅδε, τοιόσδε, τοσόσδε* ad antecedentia referuntur [2]). Quod priusquam exemplis probemus, moneo Thucydidem potissimum in orationibus pronomen *ὅδε* ad praegressa rettulisse [3]). Quibus locis cum sermonis alacritate et mobilitate, corporis manuumque gestu et motu ea, quae modo dicta sunt, repraesententur et ante oculos audientium proponantur [4]), pronomen *ὅδε* minus offendit quam in simplici et placata rerum gestarum narratione.

---

1) V. Kuehner. Gr. Gr. II § 455. adn. 8. Krueger. Gr. Gr. II. 51. 1. 15, 19. Sauppe. lexil. Xenoph. s. vv. pronomen reflexivum.

2) Pronomina autem οὗτος, τοσοῦτος, τοιοῦτος apud Atticos saepicule ad sequentia spectant. — De illo usu Krueger Gr. Gr. I. § 51. 7. 3. Kuehner. Gr. Gr. II. § 467. 7. p. 557. Matth. Gr. Gr. II. § 470. 1. Poppo in discrepant. script. I 143 VI 2 edit. mai. Thuc. exposuerunt.

3) Exempla huc pertinentia sunt haec: I 41, 1. 42, 1. 43, 4. (cf. § 3.) 69, 1. (cf. cap. 68.) 69, 6. 71, 7. 122, 4. 124, 2. 143, 1. 144, 1, 2. II 40, 2. 41, 2. 42, 1. 60, 6. 63, 2. 71, 3. 72, 1. 72, 3. III 40, 8. (45, 4) 46, 3. 48, 2. IV 64, 5. 87, 4. V 110, 2. VI 78, 2. 83, 2. (cf. 82, 3) VII 63, 3. Eiusdem notae sunt Antiph. I α 7: ἤλπιζέ τε τάδε (cf. § 6.) μὲν δράσας καὶ λήσειν ἀποκτείνας, αὐτὸν καὶ ....., ubi Reiskius pronomen praepropere vexavit et τάχα restitui iussit; Xenoph. Cyr. V 2, 23: ὁρῶ γὰρ ὅτι μᾶλλον ὑμῖν ἢ ἐμοὶ σκεπτέον, ὅπως ὁ Ἀσσύριος ἡμῶν μὴ ἐπικρατήσῃ. ἐμοὶ μέν γάρ, ἔφη, τῶνδε ἀποσφαλέντι ἔστιν ἴσως καὶ ἄλλη ἀποστροφή. Ps.-Lys. IX. 1. 7.

Similiter τοιόσδε usurpatum est Thuc. I 38, 1 (cf. 37, 5) Xenoph. Cyr. III 3, 35.

4) Usus enim. quo pronomine ὅδε ea, quae ante oculos proposita sunt, significantur, cum in scriptoribus tum in titulis psephismata exhibentibus crebro obviam est.

Ex illis ea exempla afferri liceat quibus nonnulli viri docti perperam usi praegressa notari praeceperunt: Demosth. XIX. 30: εἶτα καὶ Φωκέας ἀπολώλεκε μὲν, οἶμαι, Φίλιππος, συνηγωνίσαντο δὲ οὗτοι. τοῦτο δὴ δεῖ σκοπεῖν καὶ ὁρᾶν, εἰ ὅσα τῆς Φωκέων σωτηρίας ἐπὶ τὴν πρεσβείαν ἧκεν, ταῦθ' ἅπαντ' ἀπώλεσαν οὗτοι καὶ διέφθειραν ἑκόντες, οὐχ ὡς ὅδε Φωκέας ἀπώλεσε καθ' ἑαυτόν· quo loco vocabulo ὅδε non Philippum, sed Aeschinem, qui aderat, designari contra

E Periclis oratione, quae capp. 140.—144. lib. I. traditur, hoc exemplum transscribere iuvat: I 143, 5: *τὴν ὀλόφυρσιν μὴ οἰκιῶν καὶ γῆς ποιεῖσθε ἀλλὰ τῶν σωμάτων. οὐ γὰρ τάδε τοὺς ἄνδρας ἀλλὰ οἱ ἄνδρες ταῦτα κτῶνται.*

Iam vero in medium prodeant Herodoti exempla et Thucydidis ea, quae in simplici rerum gestarum narratione inveniuntur.

Herod. I 63, 1: *ὁ μὲν δὴ οἱ ἐνθεάζων χρᾷ τάδε, Πεισίστρατος δὲ* . ., 137, 2: *αἰνέω μέν νυν τόνδε τὸν νόμον, αἰνέω δὲ καὶ τόνδε.* 141, 17: *ὁ μὲν δὴ ὀργῇ ἐχόμενος ἔλεγέ σφι τάδε. Ἴωνες δὲ* . . . 210, 2: *Κῦρος μὲν δοκέων οἱ Δαρεῖον ἐπιβουλεύειν ἔλεγε τάδε· τῷ δὲ ὁ δαίμων* . . . II 42, 19. 76, 5: *τῶν μὲν δὴ μελαινέων τῶν μαχομένων πρὸς τοὺς ὄφις ἥδε ἰδέη, τῶν δὲ* . . . IV 47, 10 V 83, 4. 87, 2. 93, 1. IX 79, 2. — Herod. I 164, 2: *τὸ μὲν δὴ τεῖχος τοῖσι Φωκαιεῦσι τρόπῳ τοιῷδε ἐξεποιήθη. ὁ δὲ Ἅρπαγος* . . . 170, 18: *οὗτοι μὲν δή σφι γνώμας τοιάσδε ἀπεδέξαντο. Ἅρπαγος δὲ* . . . 180, 2: *ἐτετείχιστο μέν νυν Βαβυλὼν τρόπῳ τοιῷδε* (cf. cap. 179, 3: *δεῖ δή με φράσαι τὸ τεῖχος ὅντινα τρόπον ἔργαστο*). II 5, 6: *τῆς πέρι ἐκεῖνοι οὐδὲν ἔτι τοιόνδε ἔλεγον, ἔστι δὲ ἕτερον τοιοῦτον.* 39, 2: *δοκιμάζεται μέν νυν τὸ κτῆνος τρόπῳ τοιῷδε, θυσίη δέ σφι* . . . III 19, 2: *ἡ μὲν δὴ τράπεζα τοῦ ἡλίου καλεομένη λέγεται εἶναι τοιήδε, Καμβύσῃ δὲ* . . . 138, 18: *οὗτοι διὰ τοιόνδε πρῆγμα κατάσκοποι ἐγένοντο. Μετὰ δὲ ταῦτα* . . . VI 39, 2: *τελευτήσαντος δὲ καὶ Στησαγόρεω· τρόπῳ τοιῷδε, ἐνθαῦτα* . . . VII 230, 2: *οἱ μέν νυν οὕτω σωθῆναι λέγουσι Ἀριστόδημον ἐς Σπάρτην καὶ διὰ πρόφασιν τοιήνδε, οἱ δὲ* . . . — Herod. I 101, 4 post enar-

---

Schaeferum evicit Voemelius. — Xenoph. Cyr. inst. II 2, 3: ἀνακραγὼν οὖν τις τῶν κατὰ μέσον τὸν κύκλον κατακειμένων στρατιωτῶν Μὰ Δί', ἔφη, τῶνδε μὲν οὐδὲν ἴσον ἐστὶν, εἴγε ἀφ' ἡμῶν γε τῶν ἐν μέσῳ οὐδεὶς οὐδέποτε ἄρξεται. Xenoph. conviv. II. 12: καὶ ὁ Σωκράτης καλέσας τὸν Ἀντισθένην εἶπεν· οὗτοι τούς γε θεωμένους τάδε ἀντιλέξειν ἔτι οἴομαι ὡς . . . Quibus locis cum Xenopho homines loquentes inducat, quibuscum ipse non colloquitur, fieri non potest, ut eorum verba ad Xenophontis referantur.

Statim eos locos proferam quibus pronomine τοιόσδε non tam antegressa quam ea, quae oculis proponuntur, significantur. (De quo usu v. Ast. ad Plat. Phaedr. p. 250. A). Xenoph. Mem. I 2, 3: ἀλλὰ τῷ φανερὸς εἶναι τοιοῦτος (sc. καλὸς κἀγαθὸς) ὢν ἐποίει συνδιατρίβοντας ἑαυτῷ μιμουμένους ἐκεῖνον τοιούσδε γενήσεσθαι. Hic cum τοιούσδε e mente discipulorum Socratis dictum sit, explico: tales qualem Socratem esse ipsi viderunt.

De hoc et aliis locis Xenophonteis Sauppe in lexilog. Xenophonteo s. v. ὅδε brevius quidem quam ut omnibus persuaderet, sed rectissime dixit.

rationem gentium Medicarum legitur: *γένεα μὲν δὴ Μήδων ἐστὶ τοσάδε*. VII 99, 17: *ἐς μὲν τοσόνδε ὁ ναυτικὸς στρατὸς εἴρηται*. Thucyd. I 94, 2: *ἐξεπολιόρκησαν ἐν τῇδε τῇ ἡγεμονίᾳ*, i. e. in Pausaniae qui paulo antea memoratus est imperio. 103, 4: (§ 3: *προσεχώρησαν δὲ καὶ Μεγαρῆς Ἀθηναίοις ἐς ξυμμαχίαν Λακεδαιμονίων ἀποστάντας* . . .) *καὶ Κορινθίοις μὲν οὐχ ἥκιστα ἀπὸ τοῦδε τὸ σφοδρὸν μῖσος ἤρξατο πρῶτον ἐς Ἀθηναίους γενέσθαι*. V 68, 1 post aciei descriptionem legitur: *τάξις μὲν ἦν ἥδε*. VII 58, 2: *καὶ οἵδε*, sc. Camarinaei, Gelenses, Selinuntii § 1. nominati, *μὲν τῆς Σικελίας τὸ πρὸς Λιβύην μέρος τετραμμένον νεμόμενοι*. 57, 11: *καὶ οἵδε*, sc. socii Atheniensium antea enumerati, *μὲν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ ὁριζόμενοι* [1]. — II 47, 1: *τοιόσδε μὲν ὁ τάφος ἐγένετο ἐν τῷ χειμῶνι τούτῳ. καὶ διελθόντος αὐτοῦ* . . . VII 78, 1: *Ὁ μὲν Νικίας* (cuius oratio cap. 77. continetur) *τοιάδε παρακελευόμενος ἅμα ἐπῄει*. — VI 2, 6 Thucydides enarrationem barbarorum Siciliam incolentium ita conclusit: *βάρβαροι μὲν οὖν τοσοίδε Σικελίαν καὶ οὕτως ᾤκησαν*. 6, 1: *Τοσαῦτα ἔθνη Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων Σικελίαν ᾤκει, καὶ ἐπὶ τοσήνδε οὖσαν αὐτὴν οἱ Ἀθηναῖοι στρατεύειν ὥρμηντο*. Quanta Sicilia sit, VI 1, 2 describitur. VII 57, 11: *τοσάδε μὲν μετὰ Ἀθηναίων ἔθνη ἐστράτευον. Συρακοσίοις δὲ* . . . 58, 3: *καὶ Ἑλληνικὰ μὲν ἔθνη τῶν ἐν Σικελίᾳ τοσάδε, Δωριῆς τε καὶ αὐτόνομοι πάντες, ξυνεμάχουν, βαρβάρων δὲ* . . .

E ceteris scriptoribus Atticis haec exempla erui:

Plat. Prot. p. 320 E: *ἃ δὲ ηὖξε μεγέθει, τῷδε αὐτῷ αὐτὰ ἔσωζε*, ubi tamen nescio an *ὅδε* nonnihil eo excusetur, quod exstat in fabula a Protagora narrata poeticisque vocibus exornata; Xenoph. Rpl. Lac. XV. 4: *καὶ (τοὺς βασιλέας) διμοιρίᾳ γε ἐπὶ τῷ δείπνῳ ἐτίμησεν (Λυκοῦργος), οὐχ ἵνα διπλάσια καταφάγοιεν, ἀλλ' ἵνα καὶ ἀπὸ τοῦδε τιμῆσαι ἔχοιεν, εἴ τινα βούλοιντο* [2]).

Exemplorum autem quae Schneider ad Xenoph. Mem. I 7, 5 Kuehner ad Xenoph. Mem. I 2, 3 Haase ad Xenoph. Rpl. Lac. XV. 9 lauda-

---

1) His exemplis non adnumerandum esse I 2, 6: καὶ παράδειγμα τόδε τοῦ λόγου οὐκ ἐλάχιστον Ullrichius „Beiträge zur Erklärung des Thuc.“ p. 19. demonstravit, contra quam opinionem Kruegerum infeliciter pugnare Stahl. annal. Fleckeisen. vol. LXXXVII. p. 452. monuit.

2) Alius locus Xenophonteus in Hell. II 4, 3, ubi olim legebatur: βουλομένων δὲ τῶν τριάκοντα ἀποτειχίζειν, ὅπως ἐκπολιορκήσειαν αὐτοὺς ἀποκλείσαντες τὰς ἐφόδους τῶν ἐπιτηδείων, ἐπιγίγνεται τῆς νυκτὸς χιὼν παμπληθής. καὶ τῇ ὑστεραίᾳ οἵδε νιφόμενοι ἀπῆλθον εἰς τὸ ἄστυ, nunc sic emendatus est: . . . . ἐπιγίγνεται τῆς νυκτὸς χιὼν παμπληθὴς καὶ τῇ ὑστεραίᾳ. οἱ δὲ . . . . .

verunt, alia p. 45. adnot. 3, 4, p. 46. adnot. reiecimus, alia nunc reiciemus, aliud corruptum est. Reicienda sunt, cum primo obtutu appareat pronomen ὅδε ad sequentia spectare: Xen. Anab. III 1, 13: *ὁποῖόν τε μὲν δή ἐστι τοιοῦτον ὄναρ ἰδεῖν, ἔξεστι σκοπεῖν ἐκ τῶν συμβάντων μετὰ τὸ ὄναρ. γίγνεται γὰρ τάδε. εὐθὺς ἐπειδὴ....* Cyr. inst. III 3, 35: *τάδε δὲ εἰ μὴ τυγχάνετε κατανενοηκότες, ἀκούσατε· οὓς γὰρ...* Corruptum autem mancumque esse Xenoph. Mem. I 7, 5: *ἐμοὶ μὲν οὖν ἐδόκει καὶ τοῦ ἀλαζονεύεσθαι ἀποτρέπειν τοὺς συνόντας τοιάδε διαλεγόμενος* Dindorf. praef. edit. Oxon. p. VII., Schenkl. Sitzungsberichte d. kais. Akad. d. Wissensch. h.-ph. Kl. vol. LXXX. p. 118. p. 144. demonstraverunt. Item mutilum esse Xen. Rpl. L. XV. 9: *αἳ δὲ τελευτήσαντι τιμαὶ βασιλεῖ δέδονται, τῇδε βούλονται δηλοῦν οἱ Λυκούργου νόμοι, ὅτι οὐχ ὡς ἀνθρώπους ἀλλ' ὡς ἥρωας τοὺς Λακεδαιμονίων βασιλεῖς προτετιμήκασιν* Sauppe et Dindorf. in adnotationibus ad h. l. ostenderunt.

Ex recentioribus scriptoribus Polybius, Arrianus, Appianus pronomina ὅδε et οὗτος alterum ab altero non distinguunt. Quo de Kaelker ‚Quaestion. de elocutione Polybiana' (Leipz. Stud. vol. III. p. 277.) Grundmann. p. 54. Boehner p. 32. disseruerunt. Cf. Appian. Mithr. 49. 68. — bell. civ. II. 45.

Iam hic locus est ut dicam de pronomine ὅστις Thuc. VI 3, 1: *Χαλκιδῆς Νάξον ᾤκισαν καὶ Ἀπόλλωνος Ἀρχηγέτου βωμὸν, ὅστις νῦν ἔξω τῆς πόλεώς ἐστιν, ἱδρύσαντο, ἐφ' ᾧ, ὅταν ἐκ Σικελίας θεωροὶ πλέωσι, πρῶτον θύουσιν.* Quod, cum enuntiato ab eo ordienti substantivum *βωμός* accuratius definiatur ita ut ea sententia attributi quod dicitur munere fungatur, insolenter pro ὅς positum esse apparet. At Stahlius eius insolentiam removere sibi visus est, cum interpretatus est „aram illam non unam sed cum aliis extra urbem fuisse; imminutam enim Thucydidis tempore urbem fuisse apparere ita ut pars sacrorum quae antea in ea fuissent tum extra esset. Itaque non singularem unius arae habitum describi" laudavitque Matth. Gr. Gr. § 483. b. Kuehner. Gr. Gr. § 554. 1. adn. 1.. Sed, hercle, equidem quo modo hic sensus e verbis traditis elici possit, non intellego, neque Matth. et Kuehner (l. l. l. l.) id praeceptum dederunt quo haec interpretatio commendaretur, sed expressis verbis insolentiam illam agnoverunt. Ceterum lege quae Classen. in commentario critico de hoc loco disputavit. Itaque eorum opinionem meam facio, qui putant Thucydidem verba de quibus agitur ex Antiocho Syracusano, quem initio libri sexti secutus est, trans-

tulisse. Etenim in Iade ὅστις aeque atque ὅς usurpatum esse — qui usus ab Atticis intra verba ἐξ ὅτου cohibitus est — praeter Antiochum Syracusanum fragm. 3. M. (: *τὴν γῆν ταύτην, ἥτις νῦν Ἰταλία καλεῖται, τὸ παλαιὸν εἶχον Οἰνωτροί*) Herodotus testis est. Eius exempla contulerunt Struve ‚quaestionum de dialecto Herodoti specim. I.', opusc. II. p. 262. ex., Stein ad Herod. IV 8, 4. Ex Homero nonnulla Matth. (l. l.) et Kuehner (l. l.) suppeditant. — Atque haec hactenus; proximum est, ut de articulo, quippe qui origine naturaque inter pronomina referendus sit, quae habeo proferam.

Cum Attici scriptores nominibus fluviorum, si vocabulum *ποταμός* subsequitur, articulum anteponere consueverint, Herodotus non consueverit, nescio an Thucydides I 16: *ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ.* 46, 4: *διὰ τῆς Θεσπρωτίδος Ἀχέρων ποταμὸς ῥέων ἐσβάλλει ἐς αὐτήν* (sc. *τὴν Ἀχερουσίαν λίμνην*), *ἀφ' οὗ καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἔχει· ῥεῖ δὲ καὶ Θύαμις ποταμὸς ὁρίζων τὴν Θεσπρωτίδα καὶ Κεστρίνην.* 100, 1: *ἐπ' Εὐρυμέδοντι ποταμῷ.* II 97, 1: *μέχρι Ἴστρου ποταμοῦ.* IV 102, 1: *ἐπὶ Στρυμόνι ποταμῷ.* VI 4, 1: *ὑπὲρ Πανακτύου ποταμοῦ* obsoletam dicendi consuetudinem servaverit.

Nec tamen possum non concedere etiam Isocratem VII. 80 scripsisse: *ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ* [1]).

---

1) Alterum exemplum in Xenoph. Anab. IV 7, 18 exstat: ἐπὶ Ἅρπασον ποταμόν. Ibi autem Hertleinium — in libello „Zu Xenophons Anabasis" (p. 8.), quem frustra circumspexi — postquam Xenophontis dicendi morem explanaverit, articulum apte inseruisse Sauppe in lexilogo Xenoph. s. v. ‚ποταμός' me docuit.

Alia illius notae exempla apud Atticos non sunt. Quod ut ante oculos demonstrem, omnes eorum locos, quibus nomen fluvii alicuius cum vocabulo ποταμός coniunctum est, aperiam: Thuc. II 5, 2: ὁ Ἀσωπὸς π. 82: ἐπὶ τὸν Ἄναπον π. 83, 3: τοῦ Εὐήνου π. 96, 1: ἐντὸς τοῦ Ἴστρου π. 96, 3: μέχρι τοῦ Στρυμόνος π. 96, 4: μέχρι τοῦ Ὀσκίου π. 99, 4: παρὰ τὸν Ἄξιον π. 102, 2: ὁ Ἀχελῷος π. III 99: ἐπὶ τῷ Ἄλκηπι π. 103, 3: κατὰ τὸν Καικῖνον π. IV 25, 8: κατὰ τὸν Ἀκεσίνην π. 75, 2: ἐς τὸν Κάληκα π. 78, 3: ἐπὶ τῷ Ἐνιπεῖ π. 78, 5: ἐπὶ τῷ Ἀπιδανῷ π. VI 2, 2: ἀπὸ τοῦ Σικανικοῦ π. 4, 3: ἀπὸ τοῦ Γέλα π. 4, 4: ἀπὸ τοῦ Ἀκράγαντος π. 50, 3: ἐπὶ τὸν Τηρίαν π. 65, 1: ἐπὶ τῷ Συμαίθῳ π. 94, 2: ἐπὶ τὸν Τηρίαν π. 96, 3: παρὰ τὸν Ἄναπον π. VII 35, 1: ἐπὶ τῷ Συβάρει π. 35, 2: ἐπὶ τῷ Ὑλίᾳ π. 78, 3: ἀπὸ τοῦ Ἀνάπου π. 84, 2: πρὸς τὸν Ἀσσίναρον π. VIII 106, 1: πρὸς τὸν Μείδιον π. Plat. Rpl. p. 621. A: παρὰ τὸν Ἀμέλητα π. Demosth. LIX. 99: ὁ Ἀσωπὸς π. Aeschin. II. 124: κατὰ τὸν Λυδίαν π. III. 183: ἐπὶ τῷ Στρυμόνι π. Lys. II. 4: παρὰ τὸν Θερμώδοντα π. Xenoph. Anab. I 2, 5: ἐπὶ τὸν Μαίανδρον π. 2, 7: ὁ Μαίανδρος π. 2, 8: τοῦ Μαρσύου π. 3, 20: ἐπὶ τῷ Εὐφράτῳ π. 4, 1: ἐπὶ τὸν Πύραμον π. ἐπὶ τὸν Ψάρον π. (ubi v. Sauppium). 4, 9: ἐπὶ τὸν Χάλον π. 4, 10: τοῦ Δάρδατος π. 4, 11: ἐπὶ τὸν Εὐφράτην π. 4, 14: τὸν Εὐφράτην π. 4, 19: πρὸς τὸν

E permagna Herodoti exemplorum copia haec decerpsi: I 2, 9. 28, 2: *ἐπὶ Φᾶσιν π.* 6, 2: *ἐντὸς Ἅλυος π.* II 103, 12: *περὶ Φᾶσιν π.* 104, 14: *περὶ Θερμώδοντα καὶ Παρθένιον π.* III 122, 5: *ὑπὲρ Μαιάνδρου π.* IV 81, 5: *μεταξὺ Βορυσθένεος π.* 86, 9: *ἐπὶ Θερμώδοντι π.* V 92 η, 9: *ἐπ' Ἀχέροντα π.* 98, 5: *ἀπὸ Στρυμόνος π.* VI 84, 8: *παρὰ Φᾶσιν π.* VII 26, 12: *Μαιάνδρου π.* 103, 9: *Ἅλυος π.* 124, 9: *ἐπ' Ἀξίῳ π.* (sed VII 123, 19: *ἐπὶ τὸν Ἀξιὸν π.*) 127, 5: *μέχρι Λυδίεω π.* 176, 11: *κατὰ Φοίνικα π.* —

Articuli usum, qui Herodoti Homerique loquendi consuetudinem redoleat, in Thuc. I 87, 1: *Τοιαῦτα δὲ λέξας ἐπεψήφιζεν αὐτὸς ἔφορος ὢν [ἐς τὴν ἐκκλησίαν τῶν Λακεδαιμονίων]. ὁ δὲ (κρίνουσι γὰρ βοῇ καὶ οὐ ψήφῳ) οὐκ ἔφη διαγιγνώσκειν τὴν βοὴν ὁποτέρα μείζων* et Xenoph. Anab. IV 2, 6: *οἱ δὲ ἔχοντες τὸν ἡγεμόνα κύκλῳ περιιόντες καταλαμβάνουσι τοὺς φύλακας ἀμφὶ πῦρ καθημένους· καὶ τοὺς μὲν ἀποκτείναντες τοὺς δὲ καταδιώξαντες αὐτοὶ ἐνταῦθ' ἔμεινον ὡς κατέχοντες τὸ ἄκρον. οἱ δὲ οὐ κατεῖχον, ἀλλὰ* . . . exstare nonnulli viri docti contendunt. Herodotus enim et Homerus haud raro duas enuntiationes primarias, quamquam eorum subiecta eadem sunt, conectunt per *ὁ δὲ* sive *σὺ δέ, ἡμεῖς δὲ* . . [1]), velut Hom. Θ 321: *αὐτὸς δ' ἐκ δίφροιο χαμαὶ θόρε παμφανόωντος ‖ σμερδαλέα ἰάχων· ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρί.* Herod. I 17, 9: *οἰκήματα μὲν οὔτε κατέβαλλε οὔτε ἐνεπίμπρη οὔτε θύρας ἀνέσπα, ἔα δὲ κατὰ χώρην ἑστά-*

Ἀράξην π. 5, 1: τὸν Εὐφράτην π. 5, 4: ἐπὶ τὸν Μάσκαν π. 5, 5: τὸν Εὐφράτην π. 5, 10: πέραν τοῦ Εὐφράτου π. 7, 15: ἀπὸ τοῦ Εὐφράτου π., ἀπὸ τοῦ Τίγρητος π. 8, 4: πρὸς τῷ Εὐφράτῳ π. II 2, 3: ὁ Τίγρης π. 4, 13: ἀπὸ τοῦ Τίγρητος π., ἐπὶ τὸν Τίγρητα π. 4, 17: τοῦ Τίγρητος π. 4, 25: ἐπὶ τὸν Φύσκον π. 4, 28: τὸν Τίγρητα π. 5, 1: ἐπὶ τὸν Ζατάταν π. III 3, 6: τὸν Ζατάταν π. 4, 6: ἐπὶ τὸν Τίγρητα π. 5, 1: παρὰ τὸν Τίγρητα π. IV 1, 2: ὁ μὲν Τίγρης π. 1, 3: τοῦ Τίγρητος π. 3, 1: παρὰ τὸν Κεντρίτην π. 4, 3: τοῦ Τίγρητος π., ἐπὶ τὸν Τηλεβόαν π. 5, 2: ἐπὶ τὸν Εὐφράτην π. 6, 4: παρὰ τὸν Φᾶσιν π. VII 8, 18: τὸν Κάρκασον π. Xenoph. Hellen. III 4, 22: τὸν Πακτωλὸν π. IV 8, 30: εἰς τὸν Εὐρυμέδοντα π. VII 4, 29: ἐπὶ τοῦ Κλαδάου π. Xenoph. Cyr. VI 2, 11: ἀμφὶ τὸν Πακτωλὸν π. VII 3, 4: πρὸς τὸν Πακτωλὸν π. Xenoph. Ages. I 30: τὸν Πακτωλὸν π.

Ab Herodoti et Thucydidis locis, quos supra laudavi, multum differunt: Plat. Axioch. p. 371. B: ποταμὸς Ἀχέρων. Rpl. p. 391. B: τοῦ ἑτέρου ποταμοῦ Σπερχειοῦ. Xenoph. Anab. V 3, 8: ἔτυχε διαρρέων διὰ τοῦ χωρίου ποταμὸς Σελινοῦς. Καὶ ἐν Ἐφέσῳ Σελινοῦς ποταμὸς παραρρεῖ (cf. I 2, 23. 4, 4. VI 2, 3). V. Krueger. Gr. Gr. I. 50. 7. 1.

1) V. Krueger. Gr. Gr. II. § 50. 1. 10.

ναι· ὁ δὲ τά τε δένδρεα καὶ τὸν καρπὸν τὸν ἐν τῇ γῇ ὅκως διαφθείρειε ἀπελλάσσετο . . . Alia id genus exempla Krueger ad Herod. l. l. et Bekker „Homerische Blätter" I. p. 81. congesserunt.

Sed discrepat si non Xenophontis locus at certe Thucydidis; nam cum Homeri Herodotique exempla talia sint, ut integer sensus planis verbis exponatur, in Thucydideo lacuna hiat cogitatione fere sic explenda: καὶ οἱ μὲν ἐψηφίζοντο [1]).

§ 3. De verbis.

De genere verborum.

Constat Atticos πειρᾶν et πειρᾶσθαι ita discrevisse, ut sensu tentandae pudicitiae activum, sensu conandi periclitandi periculum faciendi medium ponerent [2]). Hoc discrimen non solum Herodotus sed etiam Thucydides violavit, cum ille VI 84, 9 scripsit: πειρᾶν ἐς τὴν Μηδικὴν ἐςβάλλειν [3]), hic I 50, 4: μὴ πειρῶσιν ἀποβαίνειν II 77, 2: πυρὶ ἔδοξεν αὐτοῖς πειρᾶσαι ἐπιφλέξαι τὴν πολίν IV 9, 2: ᾗ μάλιστα ἐκείνους προσεδέχετο πειράσειν ἀποβαίνειν 102, 2: ἐπείρασε κατοικίσαι 128, 1: προεῖπε πειρᾶσαι ἐκκροῦσαι τοὺς βαρβάρους. VII 32, 1. Porro Homero praeeunte (Θ 8 Τ 30) Sophocles πειρᾶν admisit. Eiusdem in legem illam Atticorum peccati Xenophontem Sauppe falso insimulavit haec ad Mem. I 2, 29 Κριτίαν αἰσθανόμενος ἐρῶντα Εὐθυδήμου καὶ πειρῶντα χρῆσθαι καθάπερ οἱ πρὸς τἀφροδίσια τῶν σωμάτων ἀπολαύοντες ἀπέτρεπε adnotans: „πειρᾶν, quod fere dicitur de tentanda pudicitia, hic secundum Thucydidis exemplum (I 50) conandi significatione dictum est, qua dici solet medium". Nam ‚quoniam Xenopho de re amatoria exponit, nonne veri est simillimum πειρᾶν valere ‚tentare pudicitiam'? Quare aut χρῆσθαι ut interpretamentum dele cum Bornemanno aut — id quod equidem malim, quod ita enuntiatum a καθάπερ incipiens ad antecedentia aptius se acclinat — explica πειρῶντα αὐτὸν ὥστε χρῆσθαι.

---

1) Procul dubio huc nihil pertinent ii Thucydidis loci (I 37, 5 II 46 II 65, 5 III 98, 1) quibus particula δέ in apodosi comparet. Hoc autem δέ ἀποδοτικόν fere omnes scriptores Atticos usu recepisse cum alii tum Frohberger in appendice ad Lys. XIV. 21. demonstravit.

2) V. Mehlhorn. N. Jahrb. f. Philolog. u. Paedag. I (1831) p. 40. n. 32.

3) V 85 v. 5. emendatione eget.

Sed tanto maior et apud Herodotum et apud Thucydidem numerus est locorum, quibus *πειρᾶσθαι* invenitur, ut singulos afferre, cum minus attineat, longum sit.[1])

Restat ut pauca dicam de Eustathii ad Hom. *Δ* 166 praecepto: *τὸ πειρᾶσθαι παθητικὸν Ἀττικοὶ λέγουσιν ἀντὶ τοῦ ποιεῖσθαι ἀπόπειραν. Ὅμηρος μέντοι τὸ πειρᾶσθαι πειρᾶν ἐνταῦθα φησὶν ἐνεργητικῶς — καὶ Θουκυδίδης δὲ ‚τῶν τειχῶν ἡμῶν πειρᾶν'* (VII 12, 2) *λέγει* [2]). Eiusdem generis sunt exempla Thuc. I 64, 4: *πειράσαντες τοῦ χωρίου*² *καὶ οὐχ ἑλόντες ἐπορεύοντο.* IV 70, 2: *τῆς Νισαίας πειρᾶσαι.* 100, 1: *προσέβαλον τῷ τειχίσματι ἄλλῳ τε τρόπῳ πειράσαντες* (sc. *αὐτοῦ*) *καὶ μηχανὴν προσήγαγον.* 63, 2: *πρὸς τὴν Ὕβλαν ἐλθόντες καὶ πειράσαντες οὐχ εἷλον.* VII 37, 3. 38, 1: *ἐπὶ πολὺ προσπλέοντες καὶ ἀνακρουόμενοι καὶ πειράσαντες ἀλλήλων* nec non Herod. VI 82, 7: *ἔλεξεν οὐ δικαιοῦν πειρᾶν τῆς πόλιος.* Cf. Thuc. II 93, 1: *ἀποπειρᾶσαι τοῦ Πειραιῶς.* IV 107, 2. 121, 2. 135, 1: *ἀπεπείρασε Ποτειδαίας.* VI 90, 2: *τῆς Καρχηδονίων ἀρχῆς καὶ αὐτῶν ἀποπειράσοντες.* (VII 36, 1) VII 43, 1: *ἀποπειρᾶσαι τοῦ παρατειχίσματος.*

At Eustathio quominus confestim assentiar, duae causae me impediunt. Primum enim, utrum ceteri scriptores Attici genus medium an activum usurpaverint, exemplis deficientibus nescimus; tum activum genus secundum illum usum, quo *πειρᾶν* de tentanda pudicitia dicitur, ad significationem tentandae urbis optime videtur quadrare. Nec tamen medium a Thuc. II 81, 2: *ὅπως πειρῷντο τοῦ τείχους* VII 39, 2: *πειρώμενοι ἀλλήλων* et ab Herod. III 134, 29: *δοκέει τῆς Ἑλλάδος ἡμέας πρῶτα ἀποπειρᾶσθαι.* I 68, 30: *ὅκως ἐπειρώατο ἀλλήλων, πολλῷ κατυπέρτεροι τῷ πολέμῳ ἐγίνοντο οἱ Λακεδαιμόνιοι.* 76, 16. II 163, 8 IV 80, 10 VIII 100, 19. 101, 10. 113, 6 IX 114, 9 spretum est.

Iam dicendum est de *προιέναι.*

Secundum constantem dicendi morem, e quo *προίεσθαι* significatione ‚in potestatem tradendi, arbitrio permittendi' Attici ponunt, medium requirat aliquis etiam Thuc. VIII 32, 3: *οὐδὲ τὰς ναῦς ὁ Πεδάριτος ἔφη τῶν Χίων αὐτῷ προήσειν.* At Herodotum quoque activo genere

---

1) V. Esseni indicem Thucydideum. Herodoteos legi hosce I 76, 13. IV 203, 10 V 20, 25 VI 138, 19 VIII 100, 17. 108, 15.

2) Hoc exemplum non tam propter genus activum πειρᾶν verbi quam propter genetivum cum eo coniunctum Thomas M. s. v. πειρῶ notavit.

usum esse Krueger ad Thuc. l. l., Herod. I 24 demonstravit. V. Herod. I 24, 10. 159, 4 III 137, 5 [1]).

Vice versa medio genere adversus Atticorum consuetudinem [2]) usi sunt, cum *κατοικεῖσθαι* ubi de hominibus sermo est receperunt Herod. [3]) I 96, 11: *κατοικημένων τῶν Μήδων κατὰ κώμας*. II 92, 2: *οἱ ἐν τοῖσι ἕλεσι κατοικημένοι τοῖσι μὲν αὐτοῖσι νόμοισι χρέωνται τοῖσι καὶ οἱ ἄλλοι Αἰγύπτιοι*. 102, 5 III 91, 16. 97, 7: *οἳ περὶ Νύσην τὴν ἱρὴν κατοίκηνται*. 102, 3 IV 22, 6. 23, 18: *ὑπὸ δενδρέῳ δὲ ἕκαστος κατοίκηται*. 28, 6. 51, 5. 53, 27. 71, 17. 105, 9. 116, 5: *ἀπικόμενοι ἐς τοῦτον τὸν χῶρον ἐν τῷ νῦν κατοίκηνται, οἴκησαν τοῦτον*. 168, 2: *ἀπ' Αἰγύπτου ἀρξάμενοι πρῶτοι Ἀδυρμαχίδαι Λιβύων κατοίκηνται*. 185, 2. 196, 3. V 16, 5. 49, 23. 92 *γ*, 7 VI 137, 13 VII 9, 4. 9 *α*, 4. 22, 7. Thucyd. I 120, 2: *τοὺς δὲ τὴν μεσόγειαν μᾶλλον καὶ μὴ ἐν πόρῳ κατῳκημένους εἰδέναι χρὴ ὅτι*.. II 96, 1: *ὅσα ἄλλα μέρη* (*ἐθνῶν δηλονότι*: schol.) *ἐντὸς τοῦ Ἴστρου ποταμοῦ πρὸς θάλασσαν μᾶλλον τὴν τοῦ Εὐξείνου πόντου κατῴκητο*. 99, 5: *βραχὺ δέ τι αὐτῶν* (*τῶν Ἐορδῶν*) *περὶ Φύσκαν κατῴκηται*. III 34, 1: *οὗ κατῴκηντο Κολοφώνιοι*. V 83, 3: *οἱ γὰρ πολλοὶ αὐτῶν ἐνταῦθα κατῴκηντο*. Itaque, quoniam solum formae temporis perfecti plusquamperfectique apud Thucydidem occurrunt [4]), Thuc. II 102, 5: *πρὶν ἂν εὑρὼν ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ κατοικ.σηται* VI 2, 2: *Σικανοὶ δὲ μετ' αὐτοὺς πρῶτοι φαίνονται ἐνοικ.σάμενοι* codicum quorundam memoriam *κατοικήσηται, ἐνοικησάμενοι* e *κατοικίσηται, ἐνοικισάμενοι* depravatam esse consentaneum est. De priore vero loco ne tenuissimus quidem scrupulus residere potest, quia paulo post (§ 6.) *κοτοικισθείς* [5]) sequitur.

---

1) Xenoph. Anab. VII 2, 15 legendum est παρεῖεν, quod Bornemann. et Dindorf. e παρεῖεν s. εἴπερ εἶεν restituerunt.

2) V. Dion. Hal. περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος 8. p. 797. Krueger. ad Thuc. I 120, 2 Herod. I 27. 2 Blass. ‚Att. Bereds.‘ I.² p. 215. Rehdantz. ad Lyc. 95.

3) Hic eodem modo οἰκεῖσθαι usurpavit I 28, 2: κατεστραμμένων σχεδὸν πάντων τῶν ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ οἰκημένων. 134, 10 III 17, 3. 96, 4. IV 32, 2. 93, 4. 101, 8 V 2, 7. 13, 8. 73, 10 VII 69, 12. 102, 9. 165, 1. 188, 11 VIII 47, 1, 5. 115, 22 IX 76, 21. Adde Hippocr. de humor. vol. XXI. p. 129. med. Porsono autem assentior, qui Eurip. J. A. 662. 706. codicum scripturam ᾠκῆσθαι, οἰκεῖσθαι in ᾠκίσθαι mutandum esse dixit. — Ubi autem oppidorum nomina subiectorum vicem obtinent, Xenophontem quoque οἰκεῖσθαι posuisse Sauppe ad Xenoph. Vect. I 6 Krueger ad Xen. Anab. I 4, 1 demonstraverunt. Quibus tamen locis genuinam verbi notionem non tam mediam quam passivam esse liquet.

4) V. Classen. ad Thuc. III 34 Krueger. ad Thuc. I 120.

5) Et κατοικίσασθαι et κατοικισθῆναι in usu fuisse Poppo in discrepantia scripturae evicit.

Eodem mendo, quod quam facile irrepere potuerit Stahl. in adnotatione critica ad Thuc. I 8, 1 ostendit, Isocr. XIX. 24 libri deteriores foedati sunt.

Ad extremum *ἀρέσκεσθαί τινι* „delectari aliqua re, (contentum esse aliqua re)“ ex Herodoto et Thucydide notandum esse mihi videtur [1]), nisi forte e ceteris scriptoribus Atticis alia ministras exempla atque illud Ps.-Plat. Theag. p. 127. B: *εἰ οὗτος ἀρέσκοιτο τῇ σῇ συνουσίᾳ* [2]). Loco eius *ἀρέσκειν τινί*, *τινά* apud eos invaluisse opinor [3]). Igitur nota Herod. III 34, 19: *Κροῖσος οὐκ ἀρεσκόμενος τῇ κρίσει εἶπε.* IV 78, 13: *διαίτῃ οὐδαμῶς ἠρέσκετο Σκυθικῇ.* VII 160, 14: *τούτοισι ὑμέας χρεόν ἐστι ἀρέσκεσθαι* (R: *ἀρκέεσθαι*, de quo v. Valcken.). IX 66, 5: *ἐποίησε αὐτὸς τοιάδε ὡς οὐκ ἀρεσκόμενος τοῖσι πρήγμασι τοῖσι ἐκ Μαρδονίου ποιουμένοισι.* Cf. 66, 2. Thuc. I 129, 3: *τοῖς λόγοις τοῖς ἀπὸ σοῦ ἀρέσκομαι.* II 68, 3: *οὐκ ἀρεσκόμενος τῇ ἐν Ἄργει καταστάσει Ἀμφίλοχος* . . . VIII 84, 5: *ὁ μέντοι Λίχας οὔτε ἠρέσκετο αὐτοῖς* . . .
Huc pertinent etiam Thuc. I 35, 2: *εἴρηται ἐν αὐταῖς (ταῖς σπονδαῖς) τῶν Ἑλληνίδων πόλεων ἥτις μηδαμοῦ ξυμμαχεῖ, ἐξεῖναι παρ' ὁποτέρους ἂν ἀρέσκηται ἐλθεῖν* [4]). V 4, 4: *τὴν πόλιν ἐκλιπόντες καὶ ἐρημώσαντες Συρακούσας ἐπὶ πολιτείᾳ ᾤκησαν. καὶ ὕστερον πάλιν αὐτῶν τινες διὰ τὸ μὴ ἀρέσκεσθαι ἀπολιπόντες ἐκ τῶν Συρακουσῶν Φωκαίας καταλαμβάνουσιν.* 37, 4: *ἀφικόμενοι δὲ οἱ Βοιωτοὶ ἀπήγγειλαν τοῖς βοιωτάρχαις τά τε ἐκ τῆς Λακεδαίμονος καὶ τὰ ἀπὸ τῶν ξυγγενομένων Ἀργείων· καὶ οἱ βοιωτάρχαι ἠρέσκοντό τε καὶ πολλῷ προθυμότεροι ἦσαν.* Quibus locis ex antecedentibus facile subauditur et priore quidem *τῷ Συρακούσας οἰκεῖν* altero *τοῖς τε ἐκ τῆς Λακεδαίμονος καὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ξυγγενομένων Ἀργείων* (*ἀπηγγελμένοις*).

E scriptoriqus recentioris aetatis exempla suppeditant Valckenar. ad Herod. VII 160, Sturz. in indice Cass. D. graecitatis et in adnotatione ad Cass. D. XXXVII 51, 2 (vol. V. p. 163.).

---

1) V. Krueger. ad Thuc. V 4 Herod. IV 78 Valckenar. ad Herod. VII 160 Matth. Gr. Gr. II. § 411. 5. 2.

2) Ab hoc differt Soph. Antig. 500: τῶν σῶν λόγων || ἀρεστὸν οὐδὲν μηδ' ἀρεσθείη ποτέ, quo loco librorum memoriam ἀρεσθείη bene defensam esse a Wolffio censeo. Cf. etiam Neuii adnotationem.

3) V. Kuehner. Gr. Gr. II. § 409. 1. adn. 1. p. 252. Krueger. ad Thuc. V. 4.

4) V. Classen. ad h. l.

De constructione verborum *νομίζειν πείθεσθαι* (*περιορᾶν*).

Verbi *χρῆσθαι* et notionem et rectionem quae dicitur Herodotus et Thucydides in verbum *νομίζειν* quasi transtulerunt: sensum utendi videlicet ei tribuerunt dativumque adstruxerunt; ille II 50, 14: *νομίζουσι Αἰγύπτιοι οὐδ' ἥρωσι οὐδέν*. IV 63, 2: *ὑσὶ οὗτοι οὐδὲν νομίζουσι*. 117, 2: *φωνῇ οἱ Σαυρομάται νομίζουσι Σκυθικῇ*, hic I 77, 6: *εἷς ἕκαστος ἐξιὼν οὔτε τούτοις* (sc. *τοῖς νομίμοις*) *χρῆται οὔτε οἷς ἡ ἄλλη Ἑλλὰς νομίζει* [1]). II 38, 1: *ἀγῶσι μέν γε καὶ θυσίαις διετησίοις νομίζοντες, ἰδίαις δὲ κατασκευαῖς εὐπρεπέσιν*. III 82, 8: *εὐσεβείᾳ οὐδέτεροι ἐνόμιζον*.
Eos secuti sunt Ps.-Plat. Eryx. p. 400. A [2]): *κατεσφραγισμένῳ τούτῳ νομίζουσιν*. p. 400. B: *ἐν Λακεδαίμονι σιδηρῷ σταθμῷ νομίζουσιν*. Cass. Dio XL 15, 2 LI 3, 7 LIII 18, 4 LVII 15, 1 LX 2, 3 Aristid. vol. I. p. 86. (D) vol. II. p. 195. (D).

Similiter explicatur, qui fieri potuerit, ut Thuc. VII 73, 2: (*ἔλεγον*) *τοὺς ἀνθρώπους ἄρτι ἀσμένους ἀπὸ ναυμαχίας τε μεγάλης ἀναπεπαυμένους καὶ ἅμα ἑορτῆς οὔσης οὐ δοκεῖν ἂν ῥαδίως ἐθελῆσαι ὑπακοῦσαι· ὑπὸ γὰρ τοῦ περιχαροῦς τῆς νίκης πρὸς πόσιν τετράφθαι τοὺς πολλοὺς ἐν τῇ ἑορτῇ καὶ πάντα μᾶλλον ἐλπίζειν ἂν σφῶν πείθεσθαι αὐτοὺς ἢ ὅπλα λαβόντας ἐν τῷ παρόντι ἐξελθεῖν* et Herodotus compluribus locis *πείθεσθαι* cum genetivo coniungerent: etenim verba *ἀκούειν, ἀκροᾶσθαι, ὑπακούειν* similiaque, quae genetivum regunt, eorum animis videntur observata esse [3]). (Animadverte Thucydidis l. l. *ὑπακοῦσαι* antecedere). Herodotus haec praebet exempla [4]): I 126, 20 ss: *βουλομένοισι μὲν ἐμέο πείθεσθαι ἔστι τάδε τε καὶ ἄλλα μυρία ἀγαθά, οὐδένα πόνον δουλοπρεπέα ἔχουσι,*

---

1) Eos, qui hoc loco ex antecedentibus cogitatione χρῆσθαι repeti volunt, optimis de causis Poppo refellit.

2) Qui usus cum neque in dialogis vere Platonicis neque in ceterorum Atticorum operibnus reperiatur, nescio an Hermannus „Geschichte und System der Platonischen Philosophie" p. 581. adn. 156. erret, cum dicat: „Was die Sprache betrifft, so möchte sich nicht leicht eine Form oder Phrase finden, die nicht als echt platonisch nachgewiesen werden könnte."

3) Cf. Stein. ad Herod. I 59 (I 214, 2 III 88, 4 IV 141, 5 VI 14, 11) Kuehner. Gr. Gr. II. p. 308.

4) Cf. Stein. ad Her. I 59 Schweighaeuser. ad Herod. I 126.

μὴ βουλομένοισι δὲ ἐμέο πείθεσθαι εἰσὶ ὑμῖν πόνοι τῷ χθιζῷ παραπλήσιοι ἀναρίθμητοι. νῦν ὦν ἐμέο πειθόμενοι γίνεσθε ἐλεύθεροι. V 29, 13: *τοὺς ἄλλους Μιλησίους τοὺς πρὶν στασιάζοντας τούτων ἔταξαν πείθεσθαι.* 33, 20: *οὐ σὲ ἀπέστειλε Ἀρταφέρνης ἐμέο πείθεσθαι καὶ πλέειν τῇ ἂν ἐγὼ κελεύω;* VI 12 21: *φέρετε, τοῦ λοιποῦ μὴ πειθώμεθα αὐτοῦ.*
Minus recte Stein l. l. huc rettulit Herod. I 59, 13: *οὔκων ταῦτα παραινέσαντος Χίλωνος πείθεσθαι θέλειν τὸν Ἱπποκράτεα.* Namque et hoc loco et Plat. Rpl. p. 391. A: *οὐδ' ὅσον ταῦτά γε Ἀχίλλεως φάναι καὶ ἄλλων λεγόντων πείθεσθαι* genetivi *παραινέσαντος Χίλωνος, ἄλλων λεγόντων* absolute positi sunt[1]).

Obiter strictimque dicam de *περιορᾶν* verbo cum infinitivo coniuncto. Nam quamquam scriptores praeter Thucydidem et Herodotum omnes *περιορᾶν* cum nulla verbi forma nisi cum participio coniungere consueverunt, tamen ne in infinitivo quidem offendemus, si locorum sententiam perpenderimus. Facillime enim ex hisce, de quibus agitur, locis cognoscitur *περιορᾶν* vera vi tantulum inflexa idem esse atque *ἐᾶν*[2]). Herod. I 24, 15 s.: *λέγουσι ἀπειληθέντα δὴ τὸν Ἀρίονα ἐς ἀπορίην παραιτήσασθαι περιιδεῖν αὐτὸν ἐν τῇ σκευῇ πάσῃ στάντα ἐν τοῖς ἑδωλίοισι ἀεῖσαι.* 191, 20: *εἰ μέν νυν προεπύθοντο ἢ ἔμαθον οἱ Βαβυλώνιοι τὸ ἐκ τοῦ Κύρου ποιεύμενον, οἱ δ' ἂν περιιδόντες τοὺς Πέρσας ἐςελθεῖν ἐς τὴν πόλιν διέφθειραν ἂν κάκιστα.* II 63, 24: *καὶ τοὺς προπόλους (φασὶ) οὐ περιορᾶν παριέναι (τὸν Ἄρεα) ἀλλὰ ἀπερύκειν.* III 48, 12: *οὐ περιορέοντες ἀπέλκειν τοὺς ἱκέτας ἐκ τοῦ ἱροῦ.* IV 113, 6: *ἡ Ἀμαζὼν οὐκ ἀπωθέετο ἀλλὰ περιεῖδε χρήσασθαι.* VII 16 α, 6: *κατά περ τὴν πάντων χρησιμωτάτην ἀνθρώποισι θάλασσαν πνεύματά φασι ἀνέμων ἐμπίπτοντα οὐ περιορᾶν φύσι τῇ ἑωυτῆς χρᾶσθαι.* — Thuc. I 34, 4: *τῶνδε οὐχ ὅπως κωλυταὶ ἐχθρῶν ὄντων καὶ ἐπιόντων γενήσεσθε, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς ὑμετέρας ἀρχῆς δύναμιν προσλαβεῖν περιόψεσθε.* 36, 3: *τούτων* (sc. *τῶν ναυτικῶν λόγου ἀξίων*) *εἰ περιόψεσθε τὰ δύο ἐς ταὐτὸν ἐλθεῖν, Κορκυραίοις τε καὶ Πελοποννησίοις ἅμα ναυμαχήσετε.* II 20, 2: *τοὺς Ἀθηναίους ἤλπιζεν ἴσως ἂν ἐπεξελθεῖν καὶ τὴν γῆν οὐκ ἂν περιιδεῖν τμηθῆναι.* IV 48, 1: *οὐδ' ἐσιέναι ἔφασαν κατὰ δύναμιν περι-*

---

1) V. Stallbaum. ad Plat. l. l. Schweighaeuser. et Baehr. ad Herod. I 126 Sturz. ad Cass. D. XXXVIII, 43 (= vol. I. p. 460.).

2) V. Matth. Gr. Gr. II 553. adn. 2. Kuehner. Gr. Gr. II. p 484. 24. p. 635. Baehr. ad Herod. I 24.

οψεσθαι οὐδένα. V 29, 1: ἐνόμιζον οὐ περιόψεσθαι σφᾶς τοὺς Λακεδαιμονίους ἄρχειν. VI 38, 4: ὧν ἐγὼ πειράσομαι μήποτε ἐφ' ἡμῶν τι περιιδεῖν γενέσθαι. 86, 1: περιοψόμεθα ὑμᾶς ὑπὸ Συρακοσίοις γενέσθαι. VII 73, 1: ἐξηγεῖται ἐλθὼν τοῖς ἐν τέλει οὖσιν ὡς οὐ χρεὼν ἀποχωρῆσαι τῆς νυκτὸς αὐτοὺς περιιδεῖν.

De verbi pleonasmo et ellipsi.

Usus infinitivi εἶναι cum ὡς particula coniuncti valde memorabilis et singularis exstat Thuc. I 21, 1: ἐκ τῶν εἰρημένων τεκμηρίων τοιαῦτα ἄν τις νομίζων μάλιστα ἃ διῆλθον οὐχ ἁμαρτάνοι καὶ οὔτε ὡς ποιηταὶ ὑμνήκασι περὶ αὐτῶν πιστεύων οὔτε . . ., ηὑρῆσθαι δὲ ἡγησάμενος ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων σημείων ὡς παλαιὰ εἶναι ἀποχρώντως. Verba enim ὡς παλαιὰ εἶναι cum verbis admodum usitatis ἑκὼν εἶναι, τὸ νῦν εἶναι, τὸ τήμερον εἶναι [1]) apte componuntur, quatenus vis restringendi in utrisque inest, sed tamen natura infinitivorum multum differunt: namque illos infinitivos, utpote quibus vim restringendi effici Godofredus Hermannus „de ellipsi et pleonasmo in Graeca lingua" opusc. I. p. 227. ss. dilucide evicerit, prorsus necessarios esse patet; hoc loco εἶναι superfluere et e Thuc. IV 84, 2: ἦν δὲ οὐδὲ ἀδύνατος ὡς Λακεδαιμόνιος εἰπεῖν et ex aliis exemplis a Matth. Gr. Gr. II. § 628. 1. p. 1509. congestis elucet. Alterum exemplum huic plane respondens apud Thucyd. non vidi neque secundum ea quae exposui assentior Michaelisio, qui in dissertatione ‚de infinitivi usu Thucydideo' p. 6. s. ut gemellum locum laudat IV 36, 3: καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι βαλλόμενοί τε ἀμφοτέρωθεν ἤδη καὶ γιγνόμενοι ἐν τῷ αὐτῷ ξυμπτώματι, ὡς μικρὸν μεγάλῳ εἰκάσαι, τῷ ἐν Θερμοπύλαις. Proxime vero ad Thucydidis de quo agimus locum duo Herodotei accedunt, optime explicati a Kuehnero Gr. Gr. II. § 585. 4. p. 1009. s. Quorum alter est II 8, 15: τὸ ὦν δὴ ἀπὸ Ἡλίου πόλιος οὐκέτι πολλὸν χωρίον ὡς εἶναι Αἰγύπτου, alter IV 81, 4: πλῆθος τὸ Σκυθέων οὐκ οἷός τε ἐγενόμην ἀτρεκέως πυθέσθαι, ἀλλὰ διαφόρους λόγους περὶ τοῦ ἀριθμοῦ ἤκουον· καὶ γὰρ κάρτα πολλοὺς εἶναί σφεας καὶ ὀλίγους ὡς Σκύθας εἶναι. Videas, sis, quae Baehr. adnotavit. — Tertium quem Kuehner (l. l.) et Heilmannus ‚De infinitivi syntaxi Herodotea' p. 7. afferunt locum II 135, 7: ἡ Ῥοδῶπις ἠλευθερώθη καὶ κάρτα ἐπαφρόδιτος γενομένη μεγάλα ἐκτήσατο χρήματα ὡς ἂν εἶναι Ῥοδῶπι (ita Schaefer, codd.: Ῥο-

---

1) Alia Matth. Gr. Gr. II. § 545. Kuehner Gr. Gr. II. § 585. 3. Krueger Gr. Gr. I. § 55. 1. 2. 3. collegerunt.

δῶπιν), *ἀτὰρ οὐκ ὥς γε ἐς πυραμίδα τοιαύτην ἐξικέσθαι* huc non quadrare Stein. sagaciter evicit. In Atticorum scriptis unum deprehendi locum, qui comparari potest, Plat. Gorg. p. 517. B: *οὐδ' ἐγὼ ψέγω τούτους, ὥς γε διακόνους εἶναι πόλεως.*

Ellipsis autem verbi, quae est in vocibus *ὡς ἑκάτεροι, ὡς ἕκαστοι* = ‚pro se quisque, singuli suis modis, singuli singulatim vel seorsim', quamquam neque eorum VV. DD., quos de eis disputasse novi[1]), neque ipse apud alios eas inveni scriptores nisi apud Herodotum Thucydidem Aristotelem recentiores, tamen nescio an minus notabilis sit, cum praesertim Demosth. I 21: *ὡς ἂν κάλλιστ' αὐτῷ τὰ παρόντ' ἔχει* aliaque id genus exempla[2]) illis prorsus respondeant: scilicet ea verba subaudienda pariter relicta sunt, quae in enuntiato primario expressa reperiuntur[3]). Quin etiam verba *ὡς τάχιστα, ὡς ἄριστα* huc spectant[4]). Atque Herodotus in usu verborum *ὡς ἕκαστοι* parcus est, Thucydides autem tam frequens[5]), ut nonnumquam origo ellipsis obscuretur. Exempla sunt: Herod. I 114, 10: *ὡς ἑκάστῳ ἔργον προστάσσων* (i. e. *προστάσσων ἔργον ὡς ἑκάστῳ προςέταξε*). VI 79, 6: *κατὰ πεντήκοντα τῶν Ἀργείων ὡς ἑκάστους ἐκκαλούμενος ὁ Κλεομένης ἔκτεινε.* 31, 5: *ὅκως λάβοι τινὰ τῶν νήσων, ὡς ἑκάστην αἱρέοντες οἱ βάρβαροι ἐσαγήνευον τοὺς ἀνθρώπους.* — Thuc. I 3, 4: *οἱ ὡς ἕκαστοι Ἕλληνες κατὰ πόλεις τε καὶ ξύμπαντες ὕστερον κληθέντες οὐδὲν πρὸ τῶν Τρωικῶν ἀθρόοι ἔπραξαν.* 15, 2: *κατ' ἀλλήλους ὡς ἕκαστοι οἱ ἀστυγείτονες ἐπολέμουν.* 48, 4: *τὸ μὲν δεξιὸν κέρας αι Μεγαρίδες νῆες εἶχον καὶ αἱ Ἀμπρακιωτίδες, κατὰ δὲ τὸ μέσον οἱ ἄλλοι ξύμμαχοι ὡς ἕκαστοι.* 67, 4: *καὶ οἱ ἄλλοι ἐγκλήματα ἐποιοῦντο ὡς ἕκαστοι καὶ Μεγαρῆς.* 89, 2: *ἀπέπλευσαν ἐξ Ἑλλησπόντου ὡς ἕκαστοι κατὰ πόλεις.* 98, 4: *πρώτη αὕτη πόλις*

---

1) V. Matth. Gr. Gr. II. § 628. 1 e p. 1510. Kuehner. Gr. Gr. II. § 555. 5. adn. 15. p. 921. Krueger. Gr. Gr. I. § 69. 63. 7. Hermann. ad Viger. p. 851. Schaefer. ad Lambert. Bos ‚Ellipses Graecae' p. 602. Poppo. ad Thuc. I 3, 4. Stein. ad Herod. VI 31, 5 Solan. ad Lucian. ver. histor. I 15 (= edit. Bip. vol. IV. p. 553.) Gesner. ad Lucian. de astrol. 7. (= edit. Bip. vol. V. p. 528.) Casaubon. ad Strabon. p. 510. (= lib. XI 8, 2) Wyttenbach. ‚ἐκλογαὶ ἱστορικαί' p. 346.

2) V. Westermannum et Frankium ad Dem. l. l. Rehdantz. ind. Demosth. II. s. v. ὡς.

3) Quae explicandi ratio quam recta sit cognoscitur ex Herod. I 29, 5: ἀπικνέονται ἐς Σάρδις ἄλλοι τε οἱ πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταὶ ὡς ἕκαστος αὐτῶν ἀπικνέοιτο καὶ δὴ καὶ Σόλων.

4) Cf. Matth. Gr. Gr. II. § 461. c. Kuehner. Gr. Gr. II. 582. 2. adn. 4.

5) Cf. Wisén. ‚De vi et usu particulae ὡς apud Thuc.' p. 13. s.

ξυμμαχὶς ἐδουλώθη, ἔπειτα δὲ καὶ τῶν ἄλλων ὡς ἑκάστη (sc. *ξυνέβη*) *ξυνέβη*. 107, 5: *ἐβοήθησαν ἐπ' αὐτοὺς οἱ Ἀθηναῖοι πανδημεὶ καὶ Ἀργείων χίλιοι καὶ τῶν ἄλλων ξυμμάχων ὡς ἕκαστοι*. 113, 1: *ἐστράτευσαν ἑαυτῶν μὲν χιλίοις ὁπλίταις, τῶν δὲ ξυμμάχων ὡς ἑκάστοις*. III 107, 4 IV 32, 2 V 4, 3. 57, 2 VI 17, 4. (69, 3). 77, 2 (ubi v. Poppo. et Stahl.) VII 65, 2. 74, 2 VIII 104, 3. — III 74, 3: *οἱ μὲν παυσάμενοι τῆς μάχης ὡς ἑκάτεροι ἡσυχάσαντες τὴν νύκτα ἐν φυλακῇ ἦσαν*. — Aristotel. 1261[b]. Strab. XI 8, 2 XVI 2, 34 Lucian. ver. hist. I 15 de astrol. 7 Cass. D. XXXVI 15, 2 XLII 15, 1 LI 17, 2 LII 8, 3. 20, 5 LIV 11, 2 LXV 22, 2 Arrian. II 12, 1 (Krueg.) III 16, 3 IV 25, 7. (ubi v. Ellendt.) 30, 2 VII 26, 1 Pind. Pyth. IX 102.

§ 4. De particulis.

Vocula *πέρ* cum a scriptoribus Atticis iis tantum annecti soleat coniunctionibus, quae condicionalem aut temporalem notionem continent[1]), memoratu dignae sunt copulationes *ὅτι περ* et *διότι περ*. Illa Thuc. IV 14, 2: *ἃ ὁρῶντες οἱ Λακεδαιμόνιοι καὶ περιαλγοῦντες τῷ πάθει, ὅτι περ αὐτῶν οἱ ἄνδρες ἀπελαμβάνοντο ἐν τῇ νήσῳ, παρεβοήθουν* occurrit, haec Herod. IV 186, 3: *θηλέων τε βοῶν οὔ τι γευόμενοι, διότι περ οὐδὲ Αἰγύπτιοι*. Eandem verborum colligationem Bloomfield. ex Lucian. Tim. 26. eruit; Aristophanes autem citatus (Eq. 53.) non respondet. — *)

De adverbiis.

Pro *ὁμοίως, ἴσως, ἐξ ἴσου ἐν ἴσῳ* similibusque circumlocutionibus Thucydides III 14, 1: *αἰσχυνθέντες Δία τὸν Ὀλύμπιον, ἐν οὗ τῷ ἱερῷ ἴσα καὶ ἱκέται ἐσμέν*[2]). VII 29, 4: *τὸ γὰρ γένος* (*τὸ τῶν Θρᾳκῶν*) *ὁμοῖα τοῖς μάλιστα τοῦ βαρβαρικοῦ, ἐν ᾧ ἂν θαρσήσῃ, φονι-*

---

1) V. Krueger. Gr. Gr. I. § 69. 56.

*) Item ab Atticis scriptoribus alienum, Ionicis Herodoto Hippocratique familiare est ἧπερ. Hoc codices quidem praebent Thuc. VI 40, 1: τὸ τῆς πόλεως ξύμπασι κοινὸν αὔξετε, ἡγησάμενοι τοῦτο μὲν ἂν καὶ ἴσον καὶ πλέον οἱ ἀγαθοὶ ὑμῶν ἧπερ τὸ τῆς πόλεως πλῆθος μετασχεῖν, sed verba ἧπερ τὸ τῆς πόλεως a Kruegero et Stahlio non sine causis in suspicionem vocata sunt. Quare Herodotea exempla et Hippocratea proferre supersedeo. Nonnulla porrigunt Hartungus ‚de particul.' I. p. 344. Krueger Gr. Gr. II. 69. 35. Kuehner Gr. Gr. II. § 542. 1. adn. 1. p. 841. Grundmann. p. 76.

2) Ab hoc loco procul dubio differunt VII 71, 3: ἴσα τῇ δόξῃ περιδεῶς ξυναπονεύοντες, quippe cum ἴσα ξυναπονεύοντες eadem sint atque ἴσα νεύματα ξυναπονεύοντες, ceterique loci, quos Classen. ad Thucyd. I 29, 1 Viereck. ‚Sermo Graecus' p. 66. adn. 1. laudant. V. Krueger. ad Thuc. l. l.

κώτατόν ἐστιν [1]) et praeter suam ipsius dicendi consuetudinem et communem Atticorum usum [2]) *ἴσα, ὁμοῖα* dixit[3]). Etenim quod Aeschylus, Sophocles, Euripides nonnumquam accusativo plur. neutr. horum aliorumque adiectivorum vim adverbialem tribuunt, in ea re ex Homero videntur pendere [4]). — Thucydidis exempla huc accivimus, quod Herodotus *ὁμοῖα, παραπλήσια, ἐπίκοινα* ita adhibuit III 8, 2: *σέβονται Ἀράβιοι πίστις ἀνθρώπων ὁμοῖα τοῖς μάλιστα* (sc. *σεβομένοισι*). 57, 8: *θησαυρὸς ἐν Δελφοῖσι ἀνακέεται ὁμοῖα τοῖσι πλουσιωτάτοισι.* (Vide, quae de hoc loco exposuit Stahl. annal. Fleckeisen. vol. LXXXVII. p. 465.). VII 118, 8. 141, 4: *ἀνὴρ δόκιμος ὁμοῖα τῷ μάλιστα.* 120, 9: *εἰ καὶ ἄριστον προείρητο ὁμοῖα τῷ δείπνῳ παρασκευάζειν.* — IV 99, 16: *καὶ παραπλήσια ταύτῃ καὶ οἱ Ταῦροι νέμονται τῆς Σκυθικῆς, ὡς εἰ τῆς Ἀττικῆς ἄλλο ἔθνος καὶ μὴ Ἀθηναῖοι νεμοίατο τὸν γουνὸν τὸν Σουνιακόν.* — I 216, 2: *γυναῖκα μὲν γαμέει ἕκαστος, ταύτῃσι δὲ ἐπίκοινα χρέωνται* (ubi v. Krueger.). VI 77, 8: *χρηστήριον τὸ ἐπίκοινα ἔχρησε ἡ Πυθίη τούτοισί τε καὶ Μιλησίοισι.*

In operibus recentiore aetate conscriptis haec deprehendi exempla: Diod. XIII 1. Plut. vit. Them. 31. vit. Flamin. 5. 13. vit. Brut. 27. de superstit. 8. Cass. D. XLIX 20. LXII 19. Luc. amor. 26. Aristid. 7. I. p. 269. (D) (: *ὅμοια*). — Cass. D. LXVIII 6, 4 (: *ἴσα*) Cf. Grundmann p. 86.

Venio ad *ὥς* particulam.

Rariores cum poetarum Atticorum [5]) tum pedestris orationis scrip-

1) Aliud id genus exemplum I 25, 4: περιφρονοῦντες αὐτοὺς καὶ χρημάτων δυνάμει ὄντες κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὁμοῖα τοῖς Ἑλλήνων πλουσιωτάτοις καὶ τῇ ἐς πόλεμον παρασκευῇ δυνατώτεροι exstare olim vulgo credebatur. Nec vero, cum desit verbum ad quod ὁμοῖα se acclinet (cf. Kratz. Eois vol. II. p. 134. Baehr. ad Herod. III 35), locus salvus esse potest. Simplicissime optimeque Stahl. (annal. Fleckeis. vol. LXXXVII. p. 466., vol. XCVII. p. 176., Berlin. philol. Wochenschr. p. 263. [1888]) eum sanavit, cum scribi iussit ὁμοίᾳ. — Linwood. (annal. Fleckeis. vol. LXXXV. p. 189.) ὁμοῖοι, alii alia proposuerunt.

2) V. Kruegeri indic. in Thuc.

3) V. Matth. Gr. Gr. II. § 290. Kuehner. Gr. Gr. II. § 349.b adn. 5. p. 27. Lennep. ad Phalar. epist. 100. p. 314. Hemsterhus. ad Luc. somn. 2.

4) V. Krueger. Gr. Gr. II. § 46. 6. 8. Adde Aeschyl. Eum. 240. (D) Soph. fr. 149, 3 (D).

5) tragicos dico et comicos; epicos vero, imprimis Homerum particulae ὥς vim demonstrativam reliquisse non ignoro. V. Buttmann. ‚Sprachlehre' II. § 116. 9. adn. 13. p. 355. Krueger. Gr. Gr. II. § 77. 1. Dindorf. lexic. Aeschyl. p. 403b, lexic. Soph. p. 532a. Matth. ad Eurip. Hec. 438 (Matth.).

torum loci sunt, quibus simplicis [1]) particulae ὥς demonstrativa vis servata est, quam ut Thuc. III 37, 5: ὣς οὖν χρὴ καὶ ἡμᾶς ποιοῦντας μὴ δεινότητι καὶ ξυνέσεως ἀγῶνι ἐπαιρομένους παρὰ τὸ δόξαν τῷ ὑμετέρῳ πλήθει παραινεῖν silentio praeteream. An praeter Plat. Prot. p. 333. A: ὣς οὖν ποιήσατε καὶ πείθεσθέ μοι alios ex his afferre potes? Novi equidem Plat. Prot. p. 326. D: ὥσπερ οἱ γραμματισταὶ τοῖς μήπω δεινοῖς γράφειν τῶν παίδων ὑπογράψαντες γραμμὰς τῇ γραφίδι οὕτω τὸ γραμματεῖον διδόασι καὶ ἀναγκάζουσι γράφειν κατὰ τὴν ὑφήγησιν τῶν γραμμῶν, ὣς δὲ καὶ ἡ πόλις νόμους ὑπογράψασα, ἀγαθῶν καὶ παλαιῶν νομοθετῶν εὑρήματα, κατὰ τούτους ἀναγκάζει καὶ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι, ὃς δ' ἂν ἐκτὸς βαίνῃ τούτων κολάζει. Rpl. VII p. 530. D: κινδυνεύει ὡς πρὸς ἀστρονομίαν ὄμματα πέπηγεν, ὣς πρὸς ἐνάρμιον φορὰν ὦτα παγῆναι, sed aliquanto ab illis locis in eo differunt, quod vis demonstrativa verbis ὥσπερ, ὡς quasi fulcitur et munitur [2]).

Ex Herodoto sat larga praesto est exemplorum copia huc pertinentium: IX 18, 11: ὣς γάρ σφι ἐνετείλετο Μαρδόνιος. Porro videas IV 28, 16: ἢν χειμῶνος βροντὴ γένηται, ὡς τέρας νενόμισται. ὣς δὲ καὶ ἢν σεισμὸς γένηται, ἐν τῇ Σκυθικῇ τέρας νενόμισται. V 30, 30: ἐλπίδας πολλὰς ἔχοντες, ὅταν ἐπιφανέωσι ἐς τὴν Νάξον, πάντα ποιήσειν τοὺς Ναξίους τὰ ἂν αὐτοὶ κελεύωσι· ὣς δὲ καὶ τοὺς ἄλλους νησιώτας. 38, 4: Κυμαῖοι δὲ τὸν σφέτερον αὐτῶν (τύραννον) ἀπῆκαν. ὣς δὲ καὶ ἄλλοι οἱ πλεῦνες ἀπίεσαν. VI 14, 16: ἰδόμενοι Λέσβιοι τοὺς προσεχέας φεύγοντας τὠυτὸ ἐποίευν τοῖσι Σαμίοισι. ὣς δὲ καὶ οἱ πλεῦνες τῶν Ἰώνων ἐποίευν τὰ αὐτὰ ταῦτα. VII 104, 16: Ἑλλήνων ἕκαστός φησι τριῶν ἄξιος εἶναι. ὣς δὲ καὶ Λακεδαιμόνιοι οὐδαμῶν εἰσι κακίονες ἀνδρῶν. 106, 6: Μασκάμῃ Ξέρξης δῶρα πέμπεσκε ἀνὰ πᾶν ἔτος· ὣς δὲ καὶ Ἀρτοξέρξης ὁ Ξέρξεω τοῖσι Μασκαμένοισι ἐκγόνοισι. 119, 1: Ἀντίπατρος ἀπέδεξε ἐς τὸ δεῖπνον τετρακόσια τάλαντα ἀργυρίου τετελεσμένα. ὣς δὲ παραπλησίως καὶ ἐν τῇσι ἄλλῃσι πόλισι οἱ ἐπεστεῶτες ἀπεδείκνυσαν τὸν λόγον. 206, 7: ἔμελλον ὁρτάσαντες καὶ φυλακὰς λιπόντες ἐν τῇ Σπάρτῃ κατὰ τάχος βοηθήσειν πανδημεί. ὣς δὲ καὶ οἱ λοιποὶ τῶν συμμάχων ἐνένωντο καὶ αὐτοὶ ἕτερα τοιαῦτα ποιήσειν. VIII 126, 13: οἱ Ποτειδαιῆται

---

1) In verbis καὶ ὥς, οὐδ' ὥς, μηδ' ὥς vim demonstrativam durasse, — ut pervulgatum praeceptum — fuse decantare taedet. Thucydidea exempla Ast. ad Plat. Prot. p. 338. A collegit.

2) Cf. Krueger. Gr. Gr. I. § 25. 10. 11.

ἀπέστασαν ἀπὸ τῶν βαρβάρων. ὡς δὲ καὶ οἱ ἄλλοι οἱ τὴν Παλλήνην ἔχοντες. IX 35, 1: *οἱ Ἀργεῖοι ἀπειληθέντες ἐς στεινὸν καταινέουσι καὶ ταῦτα. ὡς δὲ καὶ Σπαρτιῆται πάντως συνεχώρεόν οἱ* [1]).

Sed paulisper ad Thucydidis locum revertamur. Quem a me omnino non afferri oportuit, si vera est Goelleri et Fritzschii (‚Quaestt. Lucian.' p. 199.) opinio: minore interpunctione ante *ὡς* posita *ὡς* relativo sensu intellegendum esse [2]). At oratorem illum — de Cleonis enim oratione, non de descriptione rerum gestarum agimus — aliqua cum vi et vocis intentione particulam *ὥς* pronuntiantem Thucydides haud dubie finxit. Hanc autem vim relativo *ὡς* effici nego cum Ellendtio (lexic. Soph. p. 801.ᵃ). „„cum significantius esse non possit, quod vinculum sententiarum mere dialecticum et formale est": quare sicubi hic, ille, talis, tantus, hoc modo cum vi pronuntianda sunt, subrogari qui, qualis, quantus, quomodo minime possunt." Quid? quod pronomina adverbiaque relativa, cum vocula *οὖν* subsequitur, prorsus aliam significationem induere solent ac quae in hunc locum convenit? V. Krueger. Gr. Gr. I. 51. 15. 4. — E Krohlii de hoc loco disputatione (‚Quaestionum Thucydidearum specim. I' p. 7.), qua demonstrativam particulae vim contra Fritzschium tueri studuit: ‚Fritzschii interpretationis rationem, etsi non plane abicienda sit, tamen paulo duriorem esse quam ut omnibus locis possit aptari' certum lucrum facere non potui [3]).

Posterioribus temporibus demonstrativam vocabuli *ὥς* vim ab Arriano renovatam esse Grundmann. p. 61. Boehner. p. 56 ostenderunt.

De praepositionibus.

Legem grammaticam, ex qua Attici scriptores classici praepositionem *ἐπί* cum dativo vocabuli tempus aliquod notantis non coniunxerunt, secundum codicum memoriam Thucydides non explet VIII 68, 4: *χαλεπὸν ἦν τὸν Ἀθηναίων δῆμον ἐπ' ἔτει ἑκατοστῷ μάλιστα ἐπειδὴ οἱ τύραννοι κατελύθησαν ἐλευθερίας παῦσαι.* Quod peccatum

---

1) Exempla eiusdem generis Herodotea atque Plat. Prot. p. 326. D Rpl. p. 530. D Krueger Gr. Gr. II. 77. 1 praebet.

2) V. quae de hoc usu Matth. Gr. Gr. II. § 477. Kuehner Gr. Gr. II. p. 561. 2 disputaverunt. (Miror Kuehneri inconstantiam, qui Gr. Gr. I. § 179. adn. 5. p. 475. demonstrativam, II. § 561. 2. adn. 4. p. 940. relativam vim in particula *ὡς* Thuc. l. l. inesse contendat).

3) Ὧδ', quod Poppo (in scriptur. discrep. ad Thuc. l. l. edit. mai.) pro *ὥς* scribi voluit, postea ipse videtur missum fecisse.

— si modo peccatum recte dicitur — Goellero, Kruegero, Kuemmellio (‚De praepositionis ἐπί cum casibus coniunctae usu Thucydideo‘ p. 24.) tam grave visum est, ut ἐπί tolli iuberent. Equidem hoc peccatum vel potius hanc dicendi libertatem Thucydidi condonandam esse censeo et quia Homerus atque Herodotus eam sibi concesserunt et quia ea aetate via solutae orationi modo patefacta Atticus sermo nondum omnibus numeris absolutus erat. Quod autem Kuemmell p. 24. contendit „per Graecorum nobis traditas litteras nullum aliud exemplum prorsus Thucydideo respondens adhuc inventam esse (et Thuc. l. l. ἐπί mirum in modum esse usurpatum)“, hoc timidius angustiusqae dictum esse mihi videtur quam rectius: ecce Plat. Rpl. p. 474. E — qui locus adhuc iacuit —: ἐὰν ἐπὶ ὥρᾳ ᾖ [1]). Sed tantum abest, ut insolentiam huius usus infitier, ut propter eam locos Thucydidis et Platonis notari velim. Adde Herod. II 168, 10: ἐπὶ ἡμέρῃ ἑκάστῃ. IV 112, 4 V 53, 8 (ubi Cobet. V. L. p. 282. ἐπί male deleri voluit) 117, 4 VII 187, 12. Cf. Lundberg.: ‚De ratione Herodotea praepositionibus utendi a scriptoribus Atticis diversa‘ p. 35. — Homeri aliorumque poetarum exempla aperuerunt Matth. Gr. Gr. II § 585. α Kuehner Gr. Gr. II. § 438. II. 2. p. 434. Krueger II. § 68. 41. 8. In operibus posteriorum scriptorum hunc usum redire ostenderunt Schweighaeuser lexic. Polyb. p. 242. Krebs „Die Praepositionen bei Polybius“ p. 86. Sauppe ad Arrian. de venat. XII. 1. Sintenis et Krueger ad Arrian. II 26, 4 Grundmann p. 71. Alia exempla ex aliis lexica porrigunt.

Haud dubie ab his ii longe distant loci quibus vis temporalis in substantivum e praepositione ἐπί pendens per metaphoram infertur, velut Thuc. V 14, 4: ξυνέβαινε πρὸς τοὺς Ἀργείους αὐτοῖς τὰς τριακοντούτεις σπονδὰς ἐπ' ἐξόδῳ εἶναι. 28, 2: ἐπ' ἐξόδῳ πρὸς αὐτοὺς αἱ σπονδαὶ ἦσαν. Xenoph. Hell. V 4, 4: Ἀφροδίσια ἄγουσιν ἐπ' ἐξόδῳ τῆς ἀρχῆς. Cyr. I 3, 12: τοσαύτας αὐτοῖς εὐθυμίας παρεῖχεν ἐπὶ τῷ δείπνῳ. Herod. III 14, 43: ἐπὶ γήραος οὐδῷ.

Pergo. Cum scriptores Attici eos, qui circa aliquem, sive comites sive amici sive ministri, sunt, significare solerent verbis τοὺς περί sive ἀμφί τινα, Thucydides VII 57, 6 eodem sensu dixit τοὺς ἅμα Γυλίππῳ (: οἱ μὲν Λακεδαιμονίων ἄποικοι, Κυθήριοι, ἐπὶ Λακεδαιμονίους τοὺς ἅμα Γυλίππῳ μετὰ Ἀθηναίων ὅπλα ἔφερον). Cum

---

1) Magnopere Sturz. lexic. Xenoph. vol. II. p. 262. erravit, cum Xenoph. Mem. II 2, 8: ἐπὶ τῷ βίῳ παντί huc rettulit.

hoc loco Herodoteus apte mea opinione componitur[1], VI 138, 26: *ἀπὸ τούτου τοῦ ἔργου καὶ τοῦ προτέρου τούτων, τὸ ἐργάσαντο αἱ γυναῖκες τοὺς ἅμα Θόαντι ἄνδρας σφετέρους ἀποκτείνασαι, νενόμισται ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα τὰ σχέτλια ἔργα πάντα Λήμνια καλέεσθαι*, ubi tamen in *ἅμα* minus offendimus, quia apud Herodotum in eo haud raro notio comitandi sive apud aliquem versandi subest[2]. — Sed multimodis hic locus a viris doctis et tentatus et explanatus est. Nam cum Apollod. I 9, 17 et poetae tradant Hypsipylam Thoanti pepercisse, Barthius (ad Stat. Theb. V 328) „*ἅμα Θόαντι* glossema esse aut corruptam esse priorem vocem et legendum *παρὰ Θόαντος*“ decernit. At bene defendi librorum memoriam scholio ad Eurip. Hec. 887 (= vol. I. p. 438. Dind.), quippe quod ex ipso Herodoto fluxerit, Schweighaeuser (ad Herod. l. l.) iure monet. Sed ne Schweighaeuseri quidem interpretationem probo censentis „*τοὺς ἅμα Θόαντι* esse viros, qui cum Thoante, i. e. Thoantis aetate vixerint; quo indicari tempus, quo ea res gesta sit; non negari caede exemtum per filiae pietatem fuisse Thoantem“. Neque enim haec sententia in verbis traditis continetur et perversa est. Recte vero se haberent fere haec: ... facinus quod mulieres Lemniae, quae aetate Thoantis vixerunt, commiserunt. Denique ad eam quidem, quam probavimus, explicationem proxime accedit, sed tamen a verbis traditis aliquantulo remotior est Baehrii interpretatio: *τοὺς ἅμα Θόαντι* esse viros qui una cum Thoante in Lemnum advenerant. Illa igitur probata paulum quidem, sed non longe Herodotus ab altera de Thoante fama recessit; namque Apollod. III. 6. 4 tradit Thoantem quoque postea a mulieribus Lemniis necatum esse. — *)

---

1) Fere eodem Kruegeri explicatio spectat: ἅμα insolenter positum esse pro μετά vel ξύν.

2) Cf. Grundmann. p. 58.

*) Etsi in universum recte praecipitur Atticos scriptores affirmativa enuntiatione antecedente particulas καὶ οὐ sive καὶ μή, Herodotum saepissime οὐδέ sive μηδέ usurpasse, tamen Thucydides, cum I 10, 4 scripsit μέλλοντας πέλαγος περαιώσεσθαι μετὰ σκευῶν πολεμικῶν οὐδ' αὖ τὰ πλοῖα κατάφρακτα ἔχοντας neque proprium inter illos tenet locum neque hac in re magis ceteris cum Herodoto concinit. Nam etiam saepius et apertius Platonem cum Herodoto facere Engelhardt. ad Plat. Lach. p. 64 s. demonstravit. Ad exempla, quae ibi contulit, Lach. p. 198. E Rpl. p. 498. D p. 555. E, adice Conviv. p. 219. B.

Cum ex Hippocrate adhuc nemo, quantum scio, id genus exempla protulerit, quae deprendi, indico: de morbis vulg. lib. I. vol. XXIII. p. 386. in., lib. V. p. 577. in., lib. VII. p. 636. ex.

CAPUT IV.

De constructione nonnullorum enuntiatorum.

I.

Thucydidem Herodoti vestigia legere tribus locis videmus, cum vocabulum, quo sententia incohatur, verbo interpositi enuntiati a *γάρ* particula incipientis regi facit. De qua attractione, cum Broschmannus ‚De *γάρ* particulae usu Herodoteo' p. 62. ss., quo modo singulae huiusmodi sententiae Herodoteae ortae sint, accurate exposuerit, copiose dicere supersedeo. Illud autem commemorare liceat duo esse qui huc pertinent locorum Herodoteorum genera; namque membrum illud antecedens, quod utrique enuntiato commune est et ad constructionem enuntiationis causalis accommodatur, post hanc ipsam aut repetitur per *αὐτός* pronominis casum aliquem obliquum aut praetermittitur. Prioris generis haec Herodotus exhibet exempla: I 114, 10: *εἷς δὴ τούτων τῶν παιδίων συμπαίζων ἐὼν Ἀρτεμβάρεος παῖς ἀνδρὸς δοκίμου ἐν Μήδοισι οὐ γὰρ δὴ ἐποίησε τὸ προσταχθὲν ἐκ τοῦ Κύρου, ἐκέλευε* (sc. *Κῦρος*) *αὐτὸν τοὺς ἄλλους παῖδας διαλαβεῖν.* IV 149, 1: *ὁ δὲ παῖς οὐ γὰρ ἔφη οἱ συμπλεύσεσθαι, τοιγαρῶν ἔφη αὐτὸν καταλείψειν ὄιν ἐν λύκοισι.* — Alteri generi attribuenda sunt haec: Herod. I 24, 17: *καὶ τοῖσι ἐσελθεῖν γὰρ ἡδονὴν εἰ μέλλοιεν ἀκούσεσθαι τοῦ ἀρίστου ἀνθρώπων ἀοιδοῦ, ἀναχωρῆσαι ἐκ τῆς πρύμνης ἐς μέσην νέα,* ubi *τοῖσι κ. τ. λ.* ex *τοὺς ἐσελθεῖν γὰρ αὐτοῖσι ἡδονὴν* orta esse patet. II 101, 1: *τῶν δὲ ἄλλων βασιλέων οὐ γὰρ ἔλεγον οὐδεμίαν ἔργων ἀπόδεξιν, κατ' οὐδὲν εἶναι λαμπρότητος πλὴν ἑνὸς τοῦ ἐσχάτου αὐτῶν Μοίριος· τοῦτον δὲ ἀποδέξασθαι κ. τ. λ.* IV 149, 7: *τοῖσι δὲ ἐν τῇ φυλῇ ταύτῃ ἀνδράσι οὐ γὰρ ὑπέμειναν τὰ τέκνα, ἱδρύσαντο ἐκ θεοπροπίου Ἐρινύων τῶν Λαΐου τε*

καὶ Οἰδιπόδεω ἱρόν. 200, 4: *τῶν δὲ πᾶν γὰρ ἦν τὸ πλῆθος μεταίτιον οὐκ ἐδέκοντο τοὺς λόγους.* VII 142, 1: *ταῦτά σφι ἠπιώτερα γὰρ τῶν προτέρων καὶ ἦν καὶ ἐδόκεε εἶναι συγγραψάμενοι ἀπαλλάσσαντο ἐς τὰς Ἀθήνας.* 209, 3: *ἀλλ' αὐτῷ γελοῖα γὰρ ἐφαίνοντο ποιέειν, μετεπέμψατο Δημάρητον τὸν Ἀρίστωνος ἐόντα ἐν τῷ στρατοπέδῳ.* VIII 94, 14: *ταῦτα λεγόντων ἀπιστέειν γὰρ τὸν Ἀδείμαντον, αὖτις τάδε λέγειν, ὡς αὐτοὶ οἷοί τε εἶεν ἀγόμενοι ὅμηροι ἀποθνήσκειν.* IX 109, 7: *τῇ δὲ κακῶς γὰρ ἔδεε πανοικίῃ γενέσθαι, πρὸς ταῦτα εἶπε Ξέρξῃ.* — Thuc. I 72, 1: *τῶν δὲ Ἀθηναίων ἔτυχε γὰρ πρεσβεία καὶ πρότερον ἐν τῇ Λακεδαίμονι περὶ ἄλλων παροῦσα ὡς ᾔσθοντο τῶν λόγων, ἔδοξεν αὐτοῖς* ... quae verba insolenter dicta esse apparet pro *οἱ δὲ Ἀθηναῖοι, ἔτυχε γὰρ αὐτῶν πρεσβεία .. παροῦσα, ὡς ᾔσθοντο.* 115, 4: *τῶν δὲ Σαμίων ἦσαν γάρ τινες οἳ οὐχ ὑπέμενον ἀλλ' ἔφυγον ἐς τὴν ἤπειρον, ξυνθέμενοι τῶν ἐν τῇ πόλει τοῖς δυνατωτάτοις . . . διέβησαν ὑπὸ νύκτα ἐς τὴν Σάμον.* VIII 30, 1: *τοῦ δ' αὐτοῦ χειμῶνος τοῖς ἐν Σάμῳ Ἀθηναίοις προςαφιγμένοι γὰρ ἦσαν καὶ οἴκοθεν ἄλλαι νῆες πέντε καὶ τριάκοντα καὶ στρατηγοὶ..., ἐβούλοντο .. ἐφορμεῖν.*

Apud ceteros scriptores Atticos exemplum quod his plane respondet non occurrit, sed non longe abest Isocr. VIII 44: *ἀσκοῦμεν ἀνθρώπους, οἷς ὁπόταν τις διδῷ πλείω μισθόν, μετ' ἐκείνων ἐφ' ἡμᾶς ἀκολουθήσουσιν.* Multo minus ii loci offendunt, quibus numerus et persona praedicati ad rem comparatam accommodantur: Thuc. I 82, 1: *ἀνεπίφθονον, ὅσοι ὥσπερ καὶ ἡμεῖς ὑπ' Ἀθηναίων ἐπιβουλευόμεθα, μὴ Ἕλληνας μόνον ἀλλὰ καὶ βαρβάρους προσλαβόντας διασωθῆναι.* Demosth. IV 12: *ἡ τύχη ἀεὶ βέλτιον ἢ ἡμεῖς ἡμῶν αὐτῶν ἐπιμελούμεθα.*

II.

Herodotus et Thucydides, cum in enuntiatis temporalibus, relativis, causalibus, quae e verbo aliquo dicendi pendent, pro indicativo, infinitivum et pro optativo cum *ἄν* infinitivum cum *ἄν* hic illic substituunt [1]), a scriptoribus Atticis [2]) non recedunt; recedunt cum in

1) V. Krueger. Gr. Gr. II. § 55. 4. 3. Stein. ad Herod. I 24, 30 Boehm. et Classen. ad Thuc. I 91, 5 Krueger. indic. grammat. in Thuc. s. v. Infinitiv 6.

2) V. Krueger. Gr. Gr. I. § 55. 4. 9 Kuehner. Gr. Gr. II. § 594. 5. p. 1056. Middendorf. „Construction der Nebensätze der oratio obliqua in d. attischen Prosa“

sententiis a particula *εἰ* incipientibus eum adoptant [1]), Herodotus II 64, 9: *εἰ ὦν εἶναι τῷ θεῷ τοῦτο μὴ φίλον, οὐκ ἂν οὐδὲ τὰ κτήνεα ποιέειν.* 172, 19: *εἰ πρότερον εἶναι δημότης, ἀλλ' ἐν τῷ παρεόντι εἶναι αὐτῶν βασιλεύς.* III 105, 6: *εἰ μὴ προλαμβάνειν τοὺς Ἰνδοὺς τῆς ὁδοῦ ἐν ᾧ τοὺς μύρμηκας συλλέγεσθαι, οὐδένα ἂν σφεων ἀποσώζεσθαι.* 108, 2: *λέγουσι καὶ τόδε Ἀράβιοι, ὡς πᾶσα ἂν γῆ ἐπίμπλατο τῶν ὀφίων τούτων εἰ μὴ γίγνεσθαι κατ' αὐτοὺς οἷόν τι κατὰ τὰς ἐχίδνας ἠπιστάμην γίνεσθαι* (I 129, 14 VII 229, 15); Thucydides IV 98, 4: *καὶ αὐτοί, εἰ μὲν ἐπὶ πλέον δυνηθῆναι τῆς ἐκείνων κρατῆσαι, τοῦτ' ἂν ἔχειν· νῦν δ' ἐν μέρει εἰσίν, ἑκόντες εἶναι ὡς ἐκ σφετέρου οὐκ ἀπιέναι.* Quae sententia cum irrealis sit (cf. *νῦν δὲ* . . .), Kruegeri coniectura *δυνηθεῖεν* reicienda est.

Diversis de vi particulae *ἂν* apud coniunctivum opinionibus perlustratis facere non possum quin Baeumleinio et Leopoldo Schmidtio, qui in commentatione anno 1869. foras edita ‚de omissa apud optativum et coniunctivum *ἂν* particula' dilucide disseruit, assentiar atque „per *ἂν* aliquid pro vero poni existimem: modo ea res, quam vim habeat, recte accipiatur. Scilicet qui dedita opera aliquid ita pronuntiat ut id tamquam pro vero positum intellegi debere denotet, hoc haud dubie audientis causa facit eique auctor est, ut rem sibi ut veram quasi prae oculis ponat suaque cogitatione expleat". Itaque „in sententiis relativis, condicionalibus, temporalibus, cum coniunctivus eo consilio poni soleat, ut in effectu sive in realitate rei cogitationem versari declaretur, haec ipsa coniunctivi vis addito *ἂν* distinctius pronuntiatur et quodammodo augetur" [2]). Discrimen autem, utrum particula ponatur an omittatur, in sententiis relativis et condicionalibus [3]) maius esse quam in sententiis temporalibus, Schmidt. p. 9.—19. sagaciter exposuit. In his enim „quoniam coniunctivus hoc tantum consilio ponitur ut tempus

---

p. 8. ss. Krueger. ad Thuc. II 93, 3 Frohberger. ad Lys. XIX. 26. eiusque indic. ad h. l. Rehdantz. ind. Demosth. II. p. 239. Saupp. lexilog. Xenoph. p. 69. E scriptoribus recentioribus id genus exempla Frohberger. l. l. et Lobeck. ad Phryn. p. 772. suppeditant.

1) Nam Arist. Av. 1681: ‚εἰ μὴ βαδίζειν ὥσπερ αἱ χελιδόνες' βαβάζει γ' vel tale aliquid scribendum est. — Ceterum v. Krueger. ad Herod. I 129 Abicht. ad Herod. I 24.

2) Verba sunt Schmidtii p. 8. s.

3) De his nihil dicam, quod codicum memoria plerisque locis tam lubrica est, ut vix certi quidquam statuatur.

quo quid vel eveniat vel eventurum sit cogitatione adumbrandum esse declaretur, ipsa autem res per orationis formam minime in dubium vocatur, profecto ad animorum affectum omnemque sententiae vim non nimium interest, utrum is qui loquitur adhibita ἄν particula in eam cogitationem audientem adducat an omissa suam mentem in ea defixam testificetur" [1]).

Neque igitur e diverso consilio, sed e diversa consuetudine Attici scriptores ἄν posuisse, Herodotus Hippocrates et Thucydides haud raro omisisse putandi sunt [2]). Quod autem nonnulli apud illos exstant loci, quibus ἄν deest, eorum alii emendandi sunt, alii ob alias causas non offendunt. Perlustremus singulos [3]).

I. Scribarum neglegentia particulam interisse vere est simillimum Plat. Phaed. p. 62. C: *Ἴσως τοίνυν ταύτῃ οὐκ ἄλογον μὴ πρότερον αὐτὸν ἀποκτιννύναι δεῖν πρὶν ἀνάγκην τινὰ θεὸς ἐπιπέμψῃ.* Plat. Theaet. p. 169. B: *τὸν προσελθόντα οὐκ ἀνίης πρὶν ἀναγκάσῃς ἀποδύσας ἐν τοῖς λόγοις προσπαλαῖσαι* [4]). Hyperid. or. pro Euxen. col. XX. v. 10. (Bl.): *οὐ χρὴ τοὺς δικαστὰς πρότερον τὰ καθ' ἕκαστα τῆς κατηγορίας ὑπομένειν ἀκούειν, πρὶν αὐτὸ τὸ κεφάλαιον τοῦ ἀγῶνος καὶ τὴν ἀντιγραφὴν ἐξετάσωσιν.* Hic ἄν inseri iusserunt Schneidewin. Cobet. (Mnemos. vol. II. [1853.] p. 321.) Saupp. (Götting. gelehrte Anzeig. 1870. p. 251.). Aeschin. vero III 60: ,*ὅστις οὕτω διάκειται μητ' ἀπογνώτω μηδὲν μήτε καταγνώτω πρὶν ἀκούσῃ*' *πρὶν ἂν ἀκούσῃ* scribendum esse Reisig. (coniectan. in Aristoph. p. 66.) etiam eo confirmavit, quod verba *μὴ δικάσῃς πρὶν ἂν ἀκούσῃς* in proverbium abierunt neque usquam particula ἄν oppressa est. Quare Hermann. (p. 118.), quoniam eum perperam de vi particulae ἄν praecepisse Baeumlein. („Untersuchungen über d. griech. Modi und d. Partikel *κέν* und ἄν" p. 237.—242.) evicit, librorum memoriam nequiquam defendit.

II. Non offendit mea opinione Platonis locus in Legg. p. 873. A: *ὁ γὰρ δὴ μῦθος ἢ λόγος ἢ ὅ τι χρὴ προσαγορεύειν αὐτόν, ἐκ παλαιῶν ἱερέων εἴρηται σαφῶς· — οὐδὲ ἔκπλυτον ἐθέλειν γίγνεσθαι τὸ*

---

1) Schmidt. p. 19.

2) In titulis ἄν poni solet. Cf. Meisterhans. p. 210.

3) Partem eorum Hermannus ,de particula ἄν' lib. II. 9. = opusc. IV. p. 112. subministrat; reliquos ipse collegi.

4) Plat. Lach. p. 187. E, Polit. p. 281. D, ubi codices quidam ἄν omittunt, ceteri exhibent, ἄν sine ulla dubitatione recipiendum est. Corruptus autem est Plat. Phaed. p. 85. B. V. Schanz.

μιανθὲν πρὶν φόνον φόνῳ, ὁμοίῳ ὅμοιον ἡ δράσασα ψυχὴ τίσῃ καὶ πάσης τῆς ξυγγενείας τὸν θυμὸν ἀφιλασαμένη κοιμίσῃ. Sermo est de prisca fabula quadam. Patet Platonem consulto a vulgari dicendi more recessisse et antiquitatem affectasse [1]). Neque igitur cum Heindorfio *ἂν* inseri volo neque ullo modo probo quae V. D. in nota ad Plat. Phaed. p. 62. contendit „apud prosae scriptores corrigi huiusmodi omnia debere". Porro Plat. Tim. p. 57. B: *ἐὰν δ' εἰς ταῦτα ἴῃ καὶ τῶν ἄλλων τι ξυνιὸν γενῶν μάχηται, λυόμενα οὐ παύεται πρὶν ἢ παντάπασιν ὠθούμενα καὶ διαλυθέντα ἐκφύγῃ πρὸς τὸ ξυγγενές, ἢ νικηθέντα, ἓν ἐκ πολλῶν ὅμοιον τῷ κρατήσαντι γενόμενον, αὐτοῦ ξύνοικον μείνῃ* particulae detractio facile fertur, quia ex *ἐάν* proxime praegresso *ἄν* usque ad enuntiatum a *πρίν* incipiens animis obversatur [2]). Restant Ps.-Aeschin. epist. X. 2: *ἦν δέ μοι γνώμη μένειν, ἕως ἅπαντα διεξέλθω τὰ ἐν Ἰλιάδι ἔπη.* — Ps.-Dem. XLVII. 29: *ᾤετο ἐν τῷ παρόντι αὐτὸς ἐκποδὼν γενόμενος ἡσυχίαν ἕξειν, ἕως ἐγώ τε ἐκπλεύσω καὶ αἱ νῆες καὶ χρόνος ἐγγένηται.* — Xen. Cyn. III. 6: *προορώμεναι* sc. *αἱ κύνες τὸν λαγῶ τρέμουσι καὶ οὐκ ἐπέρχονται, πρὶν ἴδωσιν ὑποκινοῦντα.* Oecon. XII. 1: *οὐκ ἂν ἀπέλθοιμι, πρὶν παντάπασιν ἡ ἀγορὰ λυθῇ* [3]). — Antiph. I. 29: *οἱ ἐπιβουλευόμενοι οὐδὲν ἴσασι πρίν γ' ἤδη ἐν αὐτῷ ὦσι τῷ κακῷ καὶ γιγνώσκωσι τὸν ὄλεθρον ἐν ᾧ εἰσίν.* II α 2: *οὐ πρότερον ἐπιχειροῦσιν ἢ πάσης ὑποψίας φυλακὴν ποιήσωνται.*

Auctorem epistulae X., quae sub Aeschinis nomine circumfertur, in Atticum sermonem peccasse et ipsi supra vidimus et Bremius docuit [4]); porro orationem illam pseudodemosthenicam non pura dialecto Attica conscriptam neque perpolitam esse legas apud Schaeferum ‚Demosthen. u. s. Zeit' vol. III.¹ 2. p. 198. s. Xenophontem autem, quem ab Atticis scriptoribus toto caelo distare Weber „Entwickelungsgeschichte der Absichtssätze" vol. II. p. 70. ss., p. 89. ss., p. 100., p. 116. pro sua parte evicit, hac quoque in re ab eis discrepare non mirandum est. Denique Antiphontem ut

---

1) Reisigio (p. 65. s.) Plato ἂν omisisse videtur, ut „maior quaedam gravitas dignitasque adderetur quum orationi tum numeris".

2) Similes ob causas in sententiis relativis ἂν particulam nonnunquam omitti Stallbaum. ad Plat. Legg. p. 920. C Schmidt. l. l. p. 12. ostenderunt.

3) Xen. Hell. I 3, 11 libri discrepant; B C E praebent μέχρι ἔλθοι, V μέχρις ἂν ἔλθῃ, ceteri μέχρις ἔλθῃ. Memoria μέχρι ἔλθοι ab editoribus iure recepta est.

4) Si coniectura opus esset, proponerem ἕως ἂν πάντα.

aliis[1]) ita his locis obsoletam dicendi rationem servasse et ad Herodoti orationem inclinare opinor. Neque igitur Sturm: „Geschichtliche Entwickelung der Constructionen mit *πρίν*" (quae commentatio recepta est in Schanzii librum „Beiträge zur historischen Syntax der griech. Sprache") p. 298. Antiph. I 29 videtur iure scripsisse *πρὶν ἂν ἐν κ. τ. λ.*[2])

Secuntur Thucydidis Herodoti Hippocratis loci, quibus *ἄν* omissum est.

Thuc. VI 10, 5: *χρὴ μὴ ἀρχῆς ἄλλης ὀρέγεσθαι, πρὶν ἣν ἔχομεν βεβαιωσώμεθα.* 29, 2: — *ὅτι σωφρονέστερον εἴη μὴ μετὰ τοιαύτης αἰτίας, πρὶν διαγνῶσι, πέμπειν αὐτὸν ἐπὶ τοσούτῳ στρατεύματι.* 38, 2: *ἡμεῖς κακοί, πρὶν ἐν τῷ παθεῖν ὦμεν, προσφυλάξασθαι.* VII 63, 1: *χρὴ ξυμπεσούσης νηὶ νεὼς μὴ πρότερον ἀξιοῦν ἀπολύεσθαι ἢ τοὺς ἀπὸ πολέμου καταστρώματος ὁπλίτας καταράξητε*[3]). VIII 9,

1) Cf. Brueckner. p. 10. ss. Herwerden. Mnemos. IX. (1881.) p. 203. s. Dittenberger. Herm. XVI. p. 321. adnot.

2) Ceteroqui e Sturmii dissertatione aliquod cepi commodum.

3) Πρότερον-ἤ eodem sensu ac πρότερον-πρίν Herodotus Thucydides Antipho non raro, ceteri Attici rarissime adhibuerunt: Demosth. XXXI 12: πρότερον τοὺς ὅρους ἔστησεν ἢ ἐκεῖνον τὴν δίκην ὀφλεῖν. XXXI 14 LV 14, videlicet in iis orationibus, quas iuvenis conscripsit. Porro Plat. Phaedr. p. 232. E: τῶν ἐρώντων πολλοὶ πρότερον τοῦ σώματος ἐπεθύμησαν ἢ τὸν τρόπον ἔγνωσαν καὶ τῶν ἄλλων οἰκείων ἔμπειροι ἐγένοντο. Hic tamen locus non nihil ad eos inclinat, quibus particula πρότερον temporali vi abiecta significationem mere comparativam induit; qua induta idem valet ac μᾶλλον. Hac significatione πρότερον-ἤ legitur: Demosth. XVI 5: σκεπτέον τοίνυν μὴ πρότερον τούσδε γενέσθαι φοβεροὺς καὶ μεγάλους ἐάσωμεν ἢ ἐκεῖνοι μικροὶ γενήσονται. XXIII 167. Ps.-Demosth. XXXIII 26 LVII 70. Lys. V 2: ἐνόμιζον οὕτω μετοιχεῖν αὐτὸν ἐν ταύτῃ τῇ πόλει, ὥστε πολὺ πρότερον ἀγαθοῦ τινος τεύξεσθαι παρ' ὑμῶν ἢ ἐπὶ τοιαύταις αἰτίαις εἰς τοσοῦτον κίνδυνον καταστήσεσθαι. Isae. IX. 36: ἃς (sc. τὰς ἐπισκήψεις) αὐτὸς πρότερον ἀπέθανεν ἢ παραβῆναι. Lycurg. 92 (ubi v. Rehdantz.); 129. 135. Xenoph. Memorab. I 2, 17 II 7, 2 Cyr. VII 5, 41 Anab. II 1, 10: ἀπεκρίνατο ὅτι π ρ ό σ θ ε ν ἂν ἀποθάνοιεν ἢ τὰ ὅπλα παραδοίησαν. Herod. VII 228, 2.

Sed redeamus ad Herodotum Thucydidem Antiphontem; hisce locis πρότερον-ἤ pro πρότερον-πρίν positum est, atque primum quidem πρότερον-ἤ cum nudo coniunctivo Herod. I 199, 13: οὐ πρότερον ἀπαλλάσσεται ἐς τὰ οἰκία ἢ τίς οἱ ξείνων ἀργύριον ἐμβαλὼν ἐς τὰ γούνατα μιχθῇ ἔξω τοῦ ἱροῦ. IV 196, 15: λέγουσι οὔτε . . . οὔτ' ἐκείνους τῶν φορτίων ἅπτεσθαι πρότερον ἢ αὐτοὶ τὸ χρυσίον λάβωσι. VII 54, 8: Ξέρξης εὔχετο πρὸς τὸν ἥλιον μηδεμίαν οἱ συντυχίην τοιαύτην γενέσθαι, ἥ μιν παύσει καταστρέψεσθαι τὴν Εὐρώπην πρότερον ἢ ἐπὶ τέρμασι τοῖσι ἐκείνης γένηται. IX 86, 6: βουλομένοισί σφι ἐδόκεε μὴ ἀπανίστασθαι ἀπὸ τῆς πόλιος πρότερον ἢ ἐξέλωσι. 87, 5: ἄνδρες Θηβαῖοι, ἐπειδὴ οὕτω δέδοχται

1: *οἱ Κορίνθιοι οὐ προυθυμήθησαν ξυμπλεῖν πρὶν τὰ Ἴσθμια διεορτάσωσιν.* 9, 3: *τὸ πλῆθος οὐ βουλόμενοί πω πολέμιον ἔχειν πρίν τι καὶ ἰσχυρὸν λάβωσιν.* — I 137, 2: *μηδένα ἐκβῆναι ἐκ τῆς νεὼς μέχρι πλοῦς γένηται.* III 28, 2: *Πάχης κατατίθεται (αὐτοὺς) ἐς Τένεδον μέχρι οὗ τοῖς Ἀθηναίοις τι δόξῃ.* IV 16, 2: *ἐσπεῖσθαι δὲ αὐτὰς* (sc. *τὰς σπονδὰς*) *μέχρι οὗ ἐπανέλθωσιν οἱ πρέσβεις.* 41, 1: *ἐβούλευσαν δεσμοῖς αὐτοὺς φυλάσσειν μέχρι οὗ τι ξυμβῶσιν.* 46, 3: *οἱ στρατηγοὶ τὴν Πτυχίαν ἐς φυλακὴν διεκόμισαν ὑποσπόνδους, μέχρι οὗ Ἀθήναζε πεμφθῶσιν.*

Herodot. I 32, 25: *ἐκεῖνο τὸ εἴρεό με οὔκω σε ἐγὼ λέγω πρὶν τελευτήσαντα καλῶς τὸν αἰῶνα πύθωμαι* (codd. A² R: *πρὶν ἄν*). 82, 36: *ἐποιήσαντο νόμον τε καὶ κατάρην μὴ πρότερον θρέψειν κόμην*

τοῖσι Ἕλλησι, μὴ πρότερον ἀπαναστῆναι πολιορκέοντας ἢ ἐξέλωσι Θήβας ἢ ἡμέας αὐτοῖσι παραδῶτε. Thucyd. l. l., Antiph. II α 2; dein cum indicativo: Herod. VII 175, 8: τὴν ἀτραπὸν οὐδὲ ᾔδεσαν ἐοῦσαν πρότερον ἤ περ ἀπικόμενοι ἐς Θερμοπύλας ἐπύθοντο Τρηχινίων. VIII 7, 10. 93, 6. Thuc. II 65, 12: οὐ πρότερον ἐνέδοσαν ἢ αὐτοὶ ἐν σφίσι καὶ ταῖς ἰδίαις διαφοραῖς περιπεσόντες ἐσφάλησαν. VIII 24, 5, ubi codicis B memoriam, quam Classen recepit, optimo iure refellunt Poppo in adnotatione ad h. l. et Eggert „De Vaticani codicis Thucydidei auctoritate" p. 16. Antiph. II γ 2: εἴτε γὰρ προσιόντας τινὰς οἱ ἀποκτείναντες αὐτοὺς ἀπολιπόντες ᾤχοντο φεύγοντες πρότερον ἢ ἀπέδυσαν. (cf. II β 5.); postremo cum infinitivo Herod. I 72, 2: ἦσαν οἱ Σύριοι οὗτοι τὸ μέν πρότερον ἢ Πέρσας ἄρξαι Μήδων κατήκοοι. II 11, 19. 44, 17 V 118, 2 (VI 91, 6; sed cf. VI 108, 11 Xen. Cyr. I 6, 39 Theocr. II. 116) VII 2, 4. 150, 3 IX 16, 33. Hippocr. de mulier. morbis lib. II. vol. XXII. p. 826. ex: ταῦτα ποιέειν χρὴ πρότερον ἢ ψυχθῆναι (τὰς ὑστέρας). de fistulis vol. XXIII. p. 334. med. Thuc. I 69, 5: τὸν Μῆδον αὐτοὶ ἴσμεν ἐκ περάτων γῆς πρότερον ἐπὶ τὴν Πελοπόννησον ἐλθόντα ἢ τὰ παρ' ὑμῶν ἀξίως προαπαντῆσαι. II 40, 2 VI 58, 1 VIII 45, 5. Antiph. III δ 5: θέλω μὴ πρότερον ἐπ' ἄλλον λόγον ὁρμῆσαι ἢ τὸ ἔργον ἔτι φανερώτερον καταστῆσαι. Ὕστερον-ἢ legitur Thuc. VI 4, 2 Demosth. III. 16.

E recentioribus scriptoribus hunc usum receperunt Plut. Cat. min. 17 Anton. 40. Luc. 5. Pausan. IV 26, 3. Arrian. Anab. I 18, 4 II 16, 1 al. —

Occasione data pauca de πρὶν ἢ addam. Apud Herodotum hanc particularum copulationem increbruisse notum est; apud Thucydidem semel, V 61, 1, obfertur. Quo loco alii viri docti invitis codicibus ἢ ut ionicum deleverunt, alii mutaverunt in δή aut οἱ. Quae causa num sat gravis sit, dubito. — Ceterum omnes codices πρὶν ἢ exhibent Aeschin. II. 132. Ps.-Demosth. XXXIII 34 XXXV 3. Lycurg. 128. Isocr. IV 19: codd. Urbin. (Γ) Ambros E: πρὶν ἤ. Xen. Cyr. I 4, 23. Discrepant codices Aeschin. III 25. 77. Demosth. XXII 12. Isocr. VI 26. Isae. II 19. Xen. Anab. IV 5, 1 Ages. II 8. In titulis quoque πρὶν ἢ reperiri ostendit Meisterhans. p. 210. laudans C. J. A. IV, 1, 2. 53, a, 9: πρᾶξαι δὲ ταῦτα πρὶν η ἐξιέναι.

Ἀργείων μηδένα πρὶν Θυρέας ἀνασώσωνται (codd. A² R: *πρὶν ἂν*). III 109, 6: *ἡ θήλεα ἅπτεται τῆς δειρῆς καὶ ἐμφῦσα οὐκ ἀνίει πρὶν διαφάγῃ* (codd. P R: *πρὶν ἂν*)[1]. IV 157, 11: *οὐ γάρ δή σφεας ἀπίει ὁ θεὸς τῆς ἀποικίης πρὶν δὴ ἀπίκωνται ἐς αὐτὴν Λιβύην.* VI 82, 8: *ἔλεξε οὐ δικαιοῦν πειρᾶν τῆς πόλεως, πρίν γε δὴ ἱροῖσι χρήσηται.* IX 117, 5: *οἱ δὲ οὐκ ἔφασαν πρὶν ἢ ἐξέλωσι ἢ τὸ Ἀθηναίων κοινόν σφεας μεταπέμψηται*[2]. — I 19, 12[3]): *τοῖσι δὲ ἡ Πυθίη ἀπικομένοισι ἐς Δελφοὺς οὐκ ἔφη χρήσειν πρὶν ἢ τὸν νηὸν τῆς Ἀθηναίης ἀνορθώσωσι.* 136, 7: *πρὶν ἢ πενταέτης γένηται, οὐκ ἀπικνέεται ἐς ὄψιν τῷ πατρί.* (VI 133 11: *φάς, ἢν μή οἱ δῶσι, οὐκ ἀπονοστήσειν τὴν στρατιὴν πρὶν ἢ ἐξέλῃ σφέας*). VII 8 β, 8: *οὐ πρότερον παύσομαι* (sc. *στρατευόμενος*) *πρὶν ἢ ἕλω τε καὶ πυρώσω τὰς Ἀθήνας* (cod. R: *πρὶν ἂν ἢ*). 10 η, 10: *ὁ δὲ ἀδικέει ἀναπειθόμενος πρὶν ἢ ἀτρεκέως ἐκμάθῃ.* 197, 10: *οὐκ ἔστι ὅκως ἔξεισι πρὶν ἢ θύσεσθαι μέλλῃ.* IX 93, 26: *οὐ πρότερον παύσεσθαι τιμωρέοντες ἐκείνῳ πρὶν ἢ δίκας δῶσι.* — I 117, 18: *παραδίδωμι ἐντειλάμενος, θεῖναί μιν ἐς ἔρημον ὄρος καὶ παραμένοντα φυλάσσειν, ἄχρι οὗ τελευτήσῃ.* IV 119, 18: *μέχρι τοῦτο ἴδωμεν, μενέομεν παρ' ἡμῖν αὐτοῖσι.* — III 31, 11: *οἱ βασιλήιοι δικασταὶ κεκριμένοι ἄνδρες γίνονται Περσέων, ἐς ὃ ἀποθάνωσι.* (VIII 108, 24). — VIII 22, 19: *Θεμιστοκλέης ταῦτα ἔγραψε ἵνα ἐπείτε ἀνενειχθῇ καὶ διαβληθῇ πρὸς Ξέρξην, ἀπίστους ποιήσῃ τοὺς Ἴωνας.* — I 132, 5: *τῶν δὲ ὡς ἑκάστῳ θύειν θέλῃ, ἐς χῶρον καθαρὸν ἀγαγὼν τὸ κτῆνος καλέει τὸν θεόν* (cod. P.: *θέλει*). IV 172 14: *τῶν δὲ ὡς ἕκαστός οἱ μιχθῇ, διδοῖ δῶρον.*

Exempla quibus e *πρότερον-ἢ* nudus coniunctivus pendet, allata sunt p. 70. adnot.

Hippocr. vol. XXI. p. 5. med.; de prisca medicina vol. XXI. p. 44 in., p. 48. in.; de aere locis aquis vol. XXI. p. 546. ex.: *χρὴ μήτε καίειν μήτε τέμνειν πρὶν παρέλθωσιν αἱ ἡμέραι δέκα*; de victu vol. XXII. p. 52. ex., p. 98. med.; de locis in hom. vol. XXII. p. 132. med.; de morbis lib. III. vol. XXII. p. 293. med., p. 297. med., lib. IV. p. 347. ex., p. 359. med., p. 361. in., p. 372. m.; de intern. affectionib. vol. XXII. p. 462. m.; de mul. morbis lib. I.

1) Haec tria exempla in dubium vocavit Sturm. p. 296. s.

2) Krueger Gr. II. 54. 17. 9. et Sturm. p. 303. falluntur cum πρίν cum ἢ coniungunt. Immo ἢ — ἢ inter se respondent eodem modo ac Plat. Rpl. p. 501 A Tim. p. 57. B.

3) V. Krueger. l. l. Sturm. l. l.

vol. XXII. p. 686. m.; de sterilib. vol. XXIII. p. 1. m.; de fractur. vol. XXIII. p. 127. med.; de articul. vol. XXIII. p. 145. med.; de capit. vulnerib. vol. XXIII. p. 370. in.; aphorism. vol. XXIII. p. 729. ex. = epist. vol. XXIII. p. 819. ex. — de prisca medic. vol. XXI. p. 35. m.: *μέχρις ἡ κοιλίη . . . ἀπολαύσῃ*, de genit. vol. XXI. p. 378. in.; de morbo sacro vol. XXI. p. 611. med.; de victus rat. lib. I. vol. XXI. p. 636. med.; de victu vol. XXII. p. 71. m.; de liquid. usu vol. XXII. p. 155. ex.; de morbis lib. I. vol. XXII. p. 209. in., lib. IV. p. 336. m., p. 355. m., p. 356. m., p. 361. in.; de intern. affect. vol. XXII. p. 430. in.; de mulier. morb. lib. I. vol. XXII. p. 634. med., p. 667. ex., p. 754. ex., al. E recentioribus scriptoribus exempla Lobeck. ad Phryn. p. 16. Krebs. ‚Die Praepositionsadverbien in der spätern historischen Gräcität' p. 16. suppeditant; e poetis tragicis Krueger Gr. Gr. I. 54. 17. 3. Hermann. p. 103. ss.

Memorabilis locus est Thuc. VII 65, 2: *τὰς πρῴρας καὶ τῆς νεὼς ἄνω ἐπὶ πολὺ κατεβύρσωσαν, ὅπως ἂν ἀπολισθάνοι καὶ μὴ ἔχοι ἀντιλαβὴν ἡ χεὶρ ἐπιβαλλομένη.* Namque etsi Homerus[1]) et Herodotus in enuntiata proprie finalia, i. e. ea quae non a verbo curandi vel providendi pendent, *ἂν* admiserunt, Attici scriptores praeter Xenophontem et Ps.-Andoc. contra Alcib. § 23. hunc usum respuerunt. Horum vero neuter is est, a quod perpolita Atticorum loquendi ratio discatur. Vide quae de Xenophonte diximus p. 69. Porro Weber „Entwicklungsgeschichte der Absichtssätze" II. p. 4. s. iure monet, ne exemplo Andoc. I. 79, quod in psephismate exstet, in scrupulum adducamur; ac quod Hermannus ‚de particula *ἂν*' opusc. IV. p. 156. Demosth. VI 37: *τοῦτ' οὖν ὡς μὲν ὑπομνῆσαι νῦν ἱκανῶς εἴρηται, ὡς δ' ἂν ἐξετασθείη μάλιστ' ἀκριβῶς, μὴ γένοιτο* id genus exemplum invenisse sibi visus est, eum refellunt Westermann. in

1) V. Matth. Gr. Gr. II. § 520. adn. 2. Kuehner. Gr. Gr. II. § 553. 5. p. 900. s. Krueger. Gr. Gr. II. § 54, 8, 4. 5. Hermann. opusc. IV. p. 151. s. Weber. I. p. 33. s. Stein. ad Herod. V, 98. — Rarissime hic usus apud poetas tragicos et comicos reperitur: Aesch. Agam. 364. (D) (quo loco Hermannum errare cum explicet ὅπως ἂν ‚eo modo quo' patet ex μήτε — μήτε). — Soph. Oenom. fr. 423 (D) = Aristoph. Av. 1337 et Aristoph. Pa. 418 optativos praegressis adaptatos esse Weber I. p. 121. II. p. 106. docuit. Eurip. I. A. 171. ἴδοιμ' ἂν iam pridem in ἰδοίμαν correctum est; alii hunc versum et sequentes prorsus damnant; item Eurip. I. T. v. 1025. et sequentes Marclandus aliique iure suspectos habent. — Ceterum v. Weber. I. p. 84., p. 93., p. 111. s.

commentario ad h. l. et Aken. „Grundzüge der Lehre vom Tempus u. Modus im Griechischen" p. 153.

Herodotus [1]) haec exempla praebet: I 99, 9: *ταῦτα περὶ ἑωυτὸν ἐσέμνυνε τῶνδε εἵνεκεν, ὅκως ἂν μὴ ὁρέοντες οἱ ὁμήλικες λυποίατο καὶ ἐπιβουλεύοιεν.* 75, 18: *λέγεται τὸν Θαλῆν ἄνωθεν τοῦ στρατοπέδου ἀρξάμενον διώρυχα βαθέαν ὀρύσσειν ἄγοντα μηνοειδέα, ὅκως ἂν τὸ στρατόπεδον ἱδρύμενον κατὰ νώτου λάβοι.* 152, 5: *πορφύρεον εἷμα περιβαλόμενος, ὡς ἂν πυνθανόμενοι πλεῖστοι συνέλθοιεν Σπαρτιητέων, ἔλεγε.* V 37, 8 VII 176, 24 VIII 7, 3: *τῶν νεῶν ἁπασέων ἀποκρίναντες διηκοσίας περιέπεμπον ἔξωθεν Σκιάθου, ὡς ἂν μὴ ὀφθείησαν* (P R: *ὀφθέωσι*) *ὑπὸ τῶν πολεμίων περιπλέουσαι Εὔβοιαν.* 13, 9 IX 22, 21. 51, 16. Minus recte Weber (l. l.) huc rettulisse videtur I 110, 16: *κελεύει σε Ἀστυάγης τὸ παιδίον τοῦτο λαβόντα θεῖναι ἐς τὸ ἐρημότατον τῶν ὀρέων, ὅκως ἂν τάχιστα διαφθαρείη,* ubi nil obstat quominus *ὅκως* ‚eo modo quo' interpretemur. Item ii differunt loci, quos Krueger (ad Herod. I 75) laudat II 126, 8 III 44, 6 V 98, 22; omnibus enim his locis enuntiata proprie finalia non sunt. — Qui omnino factum sit, ut *ἂν* in haec enuntiata (ab *ὅπως, ὡς, ὄφρα* ordientia) irreperet, Weber I. p. 11. s., p. 18., p. 36., p. 40. s. sagaciter enucleavit.

---

1) V. Kuehner. Matth. Hermann. ll. ll. Weber. I. p. 131. s. Krueger. ad Herod. I 75 V 37. Baeumlein. ‚Untersuchungen' p. 316. s.

CAPUT V.

De verborum collocatione.

In duabus rationibus verba collocandi Thucydidem magis cum Herodoto quam cum ceteris scriptoribus Atticis consentire cognovi. Ac primum quidem Herodotus et Thucydides multis locis genetivum substantivi inter praepositionem et nomen ex ea pendens, quamquam utrique vocabulo articulus antecedit, interponunt, rarissime, quantum scio, illi: Antiph. II β 3 [1]): *διὰ τῆς ἔχθρας τὸ μέγεθος*. Andoc. I 15: *περὶ τῶν Ἑρμῶν τῆς περικοπῆς*. Plat. Crat. p. 400. D: *περὶ τῶν θεῶν τῶν ὀνομάτων*, p. 403. A: *περὶ τούτου τοῦ θεοῦ τῆς δυνάμεως*. Legg. p. 691. B: *τούτου περὶ τοῦ πάθους τῆς γενέσεως*. — Iam Herodoti et Thucydidis exempla proferam. Herod. I 51, 9: *ἐπὶ τοῦ προνηίου τῆς γωνίης*. 90, 20: *ἐπὶ τοῦ νηοῦ τὸν οὐδόν*. 94, 35: *ἐπὶ τοῦ βασιλέος τοῦ παιδός*. 114, 20: *πρὸς τοῦ βουκόλου τοῦ Ἀστυάγεος παιδός*. 209, 3: *ἐν τῶν Μασσαγετέων τῇ χώρῃ*. II 7, 5: *ἀπὸ τῶν δυώδεκα θεῶν τοῦ βωμοῦ*. 29, 16: *ἐς τοῦ Νείλου τὸ ῥέεθρον*. 94, 2: *ἀπὸ τῶν σιλλικυπρίων τοῦ καρποῦ*. 133, 1: *μετὰ τῆς θυγατρὸς τὸ πάθος*. 143, 10: *ἐκ τοῦ ἄγχιστα ἀποθανόντος τῆς εἰκόνος*. III 37, 4: *ἐς τοῦ Ἡφαίστου τὸ ἱρόν*. 37, 9: *ἐς τῶν Καβείρων τὸ ἱρόν*. 88, 17: *σὺν τοῦ ἵππου τῇ ἀρετῇ*. 126, 5: *κατὰ τῶν Μάγων τὴν βασιληίην*. 158, 8: *ἐς τοῦ Διὸς τοῦ Βήλου τὸ ἱρόν*. IV 2, 5: *ἐς τῶν θηλέων ἵππων τὰ ἄρθρα*. 20, 7. 49, 4.

---

1) Hoc exemplum etiam Brueckner p. 12. et Meyer ‚De Arriano Thucydideo' p. 10. notaverunt. Arrianus enim hanc verborum collocandorum rationem valde amavit. V. Boehner. p. 24.

53, 18. 87, 12. 118, 1. 125, 7, 9. V 31, 9. 49, 26. 70, 5. 77, 11. VI 58, 8. 67, 3. 68, 9. 82, 10. 99, 9. 138, 18. VII 31, 10. 33, 10. 36, 22. 67, 3. 153, 21. 218, 14. VIII 36, 10. 92, 11. 101, 4. 123, 5. 135, 4. IX 65, 5. — Thucyd. I 9, 4: *ἐν τοῦ σκήπτρου τῇ παραδόσει*. 32, 2: *μετὰ τῆς ξυμμαχίας τῆς αἰτήσεως*. 65, 3: *μετὰ τῆς Ποτειδαίας τὴν ἀποτείχισιν*. 139, 1: *περὶ τῶν ἐναγῶν τῆς ἐλάσεως*. II 13, 2: *ἀπὸ τούτων τῶν χρημάτων τῆς προσόδου*. III 23, 5: *διὰ τοῦ χειμῶνος τὸ μέγεθος*. 46, 4: *ἀπὸ τῶν νόμων τῆς δεινότητος*, ibid.: *ἀπὸ τῶν ἔργων τῆς ἐπιμελείας*. 70, 4: *ἐκ τοῦ Διὸς τοῦ τεμένους*. 81, 5: *ἐν τοῦ Διονυσίου τῷ ἱερῷ*, 95, 2: *διὰ τῆς Λευκάδος τῆς οὐ περιτείχισιν*. 96, 1: *ἐν τοῦ Διὸς τοῦ Νεμείου τῷ ἱερῷ*. 112, 7: *ἅμα τοῦ ἔργου τῇ ξυντυχίᾳ*. IV 56, 2. 84, 2 [V 47, 11] V 53. VI 33, 1. 34, 9. 82, 1. VII 20, 1. 24, 2. 31, 5. 32, 1. 71, 3. VIII 48, 3. 85, 3. — Etiam Hippocrates saepissime verba ita collocavit, ut ‚de aëre, locis, aquis‘ vol. XXI. p. 529. ex.: *ἀπὸ τῶν ὑδάτων τῆς σκληρότητος καὶ ἀτεραμνίης*, p. 547. med.: *περὶ τῶν ἐθνῶν τῆς μορφῆς*, p. 555. ex.: *περὶ τῶν λοιπῶν Σκυθέων τῆς μορφῆς*, p. 560. med.: *διὰ τῆς κοιλίης τὴν μαλθακότητα*. Reliqua quae praesto sunt exempla enumerare longum est.

Deinde Herodotus et Thucydides genetivum partitivum saepe inter articulum et participium sive adiectivum (sive substantivum), e quo pendet, intericiunt; e ceteris Atticis nulla exempla eruere potui nisi haec [1]): Lys. XIII 44: *ἴστε μὲν γὰρ τοὺς ἐκ Σαλαμῖνος τῶν πολιτῶν κομισθέντας, οἷοι ἦσαν* (ubi v. Frohberger. et Rauchenstein.). Isocr. VII 41: *τοὺς ἀκριβῶς τῶν νόμων ἀναγεγραμμένους*. XII 23: *ἀπολογῶμαι πρὸς τοὺς ἀδίκως μοι τῶν ἰδιωτῶν φθονοῦντας*. Animadverte ubique aliud vocabulum antecedere. Apud Herodotum inveniuntur haec: I 98, 21: *τὸ αὐτῶν μέγιστον*. 108, 9: *οἱ τῶν Μάγων ὀνειροπόλοι*. 143, 2: *τοῖσι αὐτῶν νησιώτῃσι*. 146, 11: *οἱ αὐτῶν ἀπὸ τοῦ πρυτανηίου τοῦ Ἀθηναίων ὁρμηθέντες*. 167, 13: (*καὶ οὗτοι μὲν τῶν Φωκαίων τοιούτῳ μόρῳ διεχρήσαντο*,) *οἱ δὲ αὐτῶν ἐς τὸ Ῥήγιον καταφυγόντες*. 177, 3: *τὰ μέν νυν αὐτῶν πλέω παρήσωμεν*. II 148, 19: (*τὰ μέν νυν μετέωρα τῶν οἰκημάτων αὐτοί τε ὡρῶμεν διεξιόντες καὶ αὐτοὶ θεησάμενοι λέγομεν*) *τὰ δὲ αὐτῶν ὑπόγαια λόγοισι ἐπυνθανόμεθα*. III 26, 2: *οἱ αὐτέων ἐπ' Ἀμμωνίους ἀποσταλέντες*. 89, 8: *τοῖσι αὐτῶν ἀργύριον ἀπαγινέουσι*. IV 2,

---

1) Plat. Phaedo. p. 85. B Krueger (Gr. Gr. I. § 47. 9. 11) meliorum codicum auctoritatem iniuria sprevit. Ceterum v. Schanz.

11: *τὸ αὐτοῦ (τοῦ γάλακτος) ἐπιστάμενον.* 94, 7: *οἱ μὲν αὐτῶν ταχθέντες ἀκόντια τρία ἔχουσι, ἄλλοι δὲ...* V 1, 1: *οἱ ἐν τῇ Εὐρώπῃ τῶν Περσέων καταλειφθέντες ὑπὸ Δαρείου.* VII 110, 6: *τούτων οἱ μὲν παρὰ θάλασσαν κατοικημένοι..., οἱ δὲ αὐτῶν τὴν μεσόγαιαν οἰκέοντες...* 129, 3: *τὰ μὲν γὰρ αὐτῆς πρὸς τὴν ἠῶ ἔχοντα.* 156, 11: *τοὺς μὲν αὐτῶν παχέας πολιήτας ἐποίησε, τὸν δὲ δῆμον...* VIII 1, 1: *οἱ δὲ Ἑλλήνων ἐς τὸν ναυτικὸν στρατὸν ταχθέντες ἦσαν οἵδε.* 4, 1: *οἱ καὶ ἐπ' Ἀρτεμίσιον Ἑλλήνων ἀπικόμενοι* (ubi v. Krueger.); apud Thucydidem haec [1]): I 9, 2: *οἱ τὰ σαφέστατα Πελοποννησίων* [2]) *μνήμῃ παρὰ τῶν πρότερον δεδεγμένοι.* 25, 4: *καὶ χρημάτων ἐν δυνάμει ὄντες κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὁμοίᾳ τοῖς Ἑλλήνων πλουσιωτάτοις.* 126, 11: *οἱ τῶν Ἀθηναίων ἐπιτετραμμένοι τὴν φυλακήν.* III 22, 5: *οἱ ἐν τῇ πόλει τῶν Πλαταιῶν ὑπολελειμμένοι.* 36, 5: *οἱ αὐτοῖς τῶν Ἀθηναίων ξυμπράσσοντες.* 65, 3: *ἐβούλοντο τούς τε ὑμῶν χείρους μηκέτι μᾶλλον γενέσθαι τούς τε ἀμείνους τὰ ἄξια ἔχειν.* IV 46, 1: *ἐπὶ τοὺς ἐν τῷ ὄρει τῇ Ἰστώνῃ Κορκυραίων καθιδρυμένους.* 111 2: *οἱ τῶν Τορωναίων ἔνδοθεν παρασκευάζοντες.* 125, 3: *τοῖς τῶν ἐναντίων πρώτοις προσκεισομένοις.* V 64, 3: *τοῖς μὲν Ἀρκάδων σφετέροις οὖσι ξυμμάχοις.* VI 62, 5: *ἐς τοὺς τῶν Σικελῶν ξυμμάχους περιέπλευσαν.* 87, 2: *τοῖς ἐνθάδε ὑμῶν ἀδικουμένοις.* 102, 1: *οἱ πρὸς τὴν πόλιν αὐτῶν τὸ πρῶτον καταφυγόντες.* VIII 73, 6: *οἱ τῶν Σαμίων πλείονες.* 78, 1: *οἱ ἐν τῇ Μιλήτῳ τῶν Πελοποννησίων ἐν τῷ ναυτικῷ στρατιῶται.* 90, 1: *οἱ τῶν τετρακοσίων μάλιστα ἐναντίοι ὄντες τῷ τοιούτῳ εἴδει.*

---

1) Maiorem quidem partem, sed non omnia congesserunt Krueger ad Thuc. I 126 et Darpe „De verborum apud Thucydidem collocatione" p. 25.

2) Πελοποννησίων a δεδεγμένοι pendere Koehler commentation. philol. in honor. Momms. p. 375. demonstravit.

Tabula argumenti.

[Ut facilius cognosceretur, quo modo ea de quibus disputavi in singulos Thucydidis libros distribuerentur, apposui notas numerales; significantur autem notis Romanis libri Thucydidei, Arabicis numerus exemplorum quae in singulis libris inveniuntur.]

I. De verborum formis . . . . p. 2.

σσ pro ττ, ρσ pro ρρ, σφάζειν VII 1, ἀδυνασία VII 1 VIII 1, σκίδνασθαι VI 1, ἐξαργυρίζειν VIII 1, ἀνώτατα = ἀνωτάτω IV 1.

de verborum declinatione (p. 5.): ἐφθάραται τετάχαται ἐτετάχατο ἀφίκατο III 2 IV 1 V 1 VII 2.

de verborum genere (p. 6.): μεταχειρίζειν I 1 IV I VI 2 VII 1, χωρήσειν I 1, πειράσασθαι II 2 IV 3 V 1, μεμφθῆναι pro μέμψασθαι IV 1.

II. De delectu verborum . . . . p. 9.

substantiva (p. 10.): αἰγιαλός I 1 IV 2 VI 1 VII 1 VIII 1, ἀλκή I 1 II 2 III 2 IV 1 VI 1, ἀνοκωχή I 2 III 1 IV 2 V 3 VIII 1, ἀντιπόλεμος III 1, ἐπαύρεσις II 1, κῆδος = affinitas II 1, ναυβάτης I 1 VII 1 VIII 1, ξυμφορά = eventus I 2, ὁμαιχμία ὅμαιχμος I 1 III 1, ὅμιλος II 6 III 1 IV 4 VI 4 VII 1, ὀρρωδία II 2, ὅτι τάχος VII 1, τιμωρία I 7 III 1 IV 1 V 1 VI 1, φάκελος II 1.

adiectiva (p. 19.): ἀγχίστροφος II 1, ἀξιόμαχος IV 1 V 2 VIII 2, ἰσοπαλής II 1 IV 1, λογάδες I 1 II 1 IV 3 V 4 VI 3, μνημόσυνος V 1, πίσυνος II 1 V 1 VI 1, πολέμια = πολεμικά I 1 IV 2 VI 1, προσηνής VI 1, φερέγγυος VII 1.

adverbia (p. 23.): ἀνακῶς VIII 1, ἑκάς I 2 VIII 2, ἐνδοιαστῶς VI 1 VII 1, (ἐνδοιάζειν I 2 VI 1), ἐξαπίνης ἐξαπιναίως I 2 II 3 III 4 IV 4 V 1 VI 1, περισταδόν VII 1.

coniunctiones (p. 26.): ἐς ὅ V 1.

verba (p. 27.): ἀπανιστάναι I 4 II 1 VII 2, ἀπογίγνεσθαι = mori II 2 V 1, αὐχεῖν II 1 IV 1 (αὔχημα αὔχησις II 1 VI 1 VII 2), βόσκειν VIII 1, διαβάλλειν = traicere II 1 VI 2, δικαιοῦν I 1 II 4 III 1 IV 2 V 2 VI 1 VII 1, ἐμπαλάσσεσθαι VII 1, ἐξιέναι = ἐμβάλλειν I 1 II 1 IV 1, ἐπιβοᾶσθαι III 2 IV 1 VII 2 VIII 1, εἴσα III 1, ἱκνεῖσθαι I 1, καταβοᾶν I 2 V 1 (καταβοή I 1 VIII 2), καταινεῖν IV 1, κομπεῖν IV 1 VI 1 VIII 1, νέμειν = διοικεῖν I 1 VIII 1, νεοχμοῦν I 1, ξυμφέρεσθαι I 2 VII 1 VIII 2, ὀτρύνειν I 1 VI 1 VII 1, παρέχειν = παρεῖναι I 1 IV 1 V 3 VI 1, προφέρειν = διαφέρειν I 1 II 1 VII 2, σπέρχειν IV 2, ὑποκρίνεσθαι = ἀποκρίνεσθαι VII 1, φονεύειν I 1 III 1 VII 2 VIII 1, χρῆν = oraculum edere I 2 II 1 III 1 V 2.

III. De usu nonnullorum verborum . . . . p. 43.
n o m i n a (p. 43.): πεζός = πεζὸς στρατός I 1 II 2 III 1 IV 3 V 1 VI 1 VII 11 VIII 7, Τρῳάς Ἰάς Ἑλλάς = Τρωικὴ Ἰλιακὴ Ἑλληνικὴ I 1 IV 1 VI 1; p r o n o m i n a (p. 44): σφῶν σφίσιν σφᾶς p. 44. s., ὅδε τοσόσδε τοιόσδε = οὗτος τοσοῦτος τοιοῦτος I 2 II 1 V 1 VI 2 VII 5, ὅστις = ὅς VI 1, articulus ante nomen fluvii cum ποταμός vocabulo coniunctum omittitur I 4 II 1 IV 1 VI 1; v e r b a (p. 51.): πειρᾶν pro πειρᾶσθαι I 1 II 1 IV 3 VII 1, προιέναι pro προΐεσθαι VIII 1, κατοικεῖσθαι pro κατοικεῖν I 1 II 2 III 1 V I, ἀρέσκεσθαι pro ἀρέσκειν I 2 II 1 V 2 VIII 1; — νομίζειν τινί I 1 II 1 III 1; πείθεσθαί τινος VII 1, περιορᾶν τινα ποιεῖν τι I 2 II 1 IV 1 V 1 VI 2 VII 1, ὡς παλαιὰ εἶναι I 1, ὡς ἕκαστοι (ἑκάτεροι) I 8 III 2 IV 1 V 2 VI 2 VII 2 VIII 1; p a r t i c u l a e (p. 59.): ὅτι περ IV 1, ἴσα ὁμοῖα = ἴσως ὁμοίως III 1 VII 1, ὥς = οὕτως III 1, dativus temporalis ab ἐπί praepositione pendet VIII 1, οἱ ἅμα τινί = οἱ περί τινα VII 1.

IV. De constructione nonnullorum enuntiatorum . . . . p. 65.
attractio enuntiatorum I 2 VIII 1; εἰ cum infinitivo coniungitur IV 1, nudus coniunctivus in enuntiatis temporalibus I 1 III 1 IV 3 VI 3 VII 1 VIII 2, ἄν in enuntiata proprie finalia admittitur VII 1.

V. De verborum collocatione . . . . p. 75.
genetivus substantivi articulo instructi inter praepositionem et substantivum ab ea pendens ponitur I 4 II 1 III 8 IV 2 V 1 VI 3 VII 5 VIII 2; genetivus partitivus attributi modo collocatur I 3 III 3 IV 3 V 1 VI 3 VIII 3.

Praeterea expositum est de forma τάμωμεν p. 4. adn., de Ionicis formis nominum propriorum p. 6. adn., ἀπομνήσεσθαι p. 7. adn., — ὀργή p. 15., διαχρῆσθαι p. 29. adn., ἐνάγειν p. 31. adn., ἀπονοστεῖν ὑπονοστεῖν p. 36. adn., ῥύεσθαι p. 39. adn., — de ὁ δέ verbis ad subiectum antecedentis enuntiati spectantibus p. 50., πειρᾶν τινος p. 52., ἧπερ p. 59. adn., οὐδέ = καὶ οὐ p. 64. adn., πρότερον—ἤ, πρὶν ἤ p. 70. adn. 3.

VITA.

Natus sum Osvaldus Diener a. d. VIII. Cal. Ian. anni MDCCCLXIII. patre Henrico matre Guilelmina e gente Richter Mitteldorfii in vico prope Stollbergam Saxoniae oppidum sito. Fidem profiteor evangelicam. Postquam litterarum rudimentis imbutus realem quam dicunt scholam per quinque annos frequentavi, in gymnasium Chemnitiense, cui praeerat Wohlrab, receptus sum. Anno h. s. LXXXIII. testimonium maturitatis adeptus Lipsiam transmigravi studiis philologis operam navaturus. Ibi scholas adii quas habuerunt viri illustrissimi de Bahder Biedermann Crusius Curtius Drobisch Hanssen Heinze Hildebrand Koegel Lange Lipsius Masius Ribbeck Richter Struempell Voigt Wachsmuth Windisch Wundt Zarncke. Praeterea proseminarii et seminarii regii philologi Lipsio et Ribbeckio moderantibus per bina semestria sodalis fui ordinarius, seminarii Germanici de Bahderi et Zarnckii per tria semestria extraordinarius, paedagogicis exercitationibus Richtero praeside per duo semestria interfui; in philologis societatibus Lipsii per duos annos, Ribbeckii et Rohdii per anni dimidium in litteras incubui.

Omnibus his viris doctissimis gratias ago, imprimis autem Lipsio praeceptori benevolentissimo, quem pie colere nunquam desistam.

Frommannsche Buchdruckerei (Hermann Pohle) Jena. — 588

